DISSERTATIO PATHOLOGICO-PRACTICA INAUGURALIS,

DE

VITIATA LOCHIORUM QUALITATE.

DISSERTATIO PATHOLOGICO-PRACTICA
INAUGURALIS,
DE

VITIATA LOCHIORUM QUALITATE,

QUAM,

FAVENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate MAGNIFICI RECTORIS,

FRIDERICI BERNARDI ALBINI,
A. L. M. PHIL. ET MED. DOCTORIS, ANATOMES
ET CHIRURGIÆ IN ACAD. LUGD. BAT. PROFESSORIS ORDINARII.

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI *Consensu,* &
Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus, & Privilegiis
ritè ac legitimè consequendis,

Solemni ac Placido eruditorum examini submittit

ANTONI SCHLAPPRIZI,
AMSTELODAMENSIS.

Ad diem 30. *Septembris* MDCCLXVI. *H. L. Q. S.*



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud CAROLUM DELFOS, PETR. FIL. 1766.

Sunt delicta tamen, quibus ignovisse velimus,
Nam neque chorda sonum reddit, quem vult manus & mens,
Poscentique gravem, persæpe remittit acutum:
Nec semper feriet, quodcumque minabitur arcus.

HORATIUS *de Arte Poët. vers.* 292.

VIRIS

GRAVISSIMIS, INTEGERRIMIS, SPECTATISSIMIS,

D. D. BERNARDO VAN LOO,
OB INSIGNIA IN SE MERITA PER TOTUM VITÆ CURRICULUM OMNI OBSEQUII CULTU PROSEQUENDO.

D. D. JOANNI VINCENTIO POOL,
APUD AMSTELODAMENSES MERCATORI SAGACISSIMO, FLORENTISSIMO

TUTORIBUS SUIS NUMQUAM SATIS COLENDIS.

NEC NON

VIRIS

PRÆCLARÆ ERUDITIONIS FAMA, MERITORUM, MUNERUM, ARTIS, NOMINIS GRAVITATE, ET PRÆSTANTIA PERILLUSTRIBUS,

D. D. FRIDERICO BERNARDO ALBINO,
A. L. M. PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORI, ANATOMES ET CHIRURGIÆ IN ACADEMIA HACCE INCLYTA BATAV. PROFESSORI DIGNISSIMO ATQUE SOLERTISSIMO, H. T. RECTORI MAGNIFICO.

D. D. BERNARDO SIEGFRIED ALBINO,
MED. DOCT. MEDICINÆ, ANATOM. ET CHIRURG. IN ACADEMIA LUGD. BATAV. PROFESSORI, IN ANATOMICIS CERTE PRINCIPI, COLLEGII CHIRURGICI LEIDENSIS PRÆSIDI, ACADEMIÆ IMPERIALIS PETROPOLITANÆ, SOCIETATIS REGIÆ LONDINENSIS ET SCIENTIARUM HOLLANDIÆ MEMBRO, INSTITUT. BONONIENSIS SCIENTIARUM ACADEM. SODALI, FACULTATIS MEDICÆ H. T. DECANO, TENTATORI SUO FACILLIMO OPTIMOQUE.

D. D.

D. D. ADRIANO VAN ROYEN,

MED. DOCT. MEDICINÆ ET COLLEGII PRACTICO-MEDICI PROFESSORI, COLLEGII PHARMACEUTICI EJUSDEM URBIS PRÆSIDI, SOCIETATIS REGIÆ LONDINENSIS SOCIO,

PROMOTORI SUO HONORATISSIMO EXOPTATISSIMOQUE.

D. D, HIERONYMO DAVIDI GAUBIO,

MED. DOCT. HUJUSQUE FACULTATIS ET CHEMIÆ ET PRACTICI COLLEGII IBIDEM PROFESSORI, ACADEMIÆ IMPERIALIS PETROPOLITANÆ, SOCIETATIS REGIÆ LONDINENSIS, ET SCIENTIARUM HOLLANDIÆ MEMBRO, SERENISSIMI PRINCIPIS ARAUS. ET NASSAV. ARCHIATRO PRIMARIO ETC.

PRÆCEPTORIBUS SUIS DIGNISSIMIS, DILECTISSIMIS, NUNQUAM SATIS COLENDIS, ÆSTIMANDIS, DE SE, SUISQUE STUDIIS BENE MERITIS.

Hancce Dissertationem inauguralem, ut & semet ipsum, ea qua par est reverentia ac obsequio

D. D. D.


ANTONI SCHLAPPRIZI,

AUCTOR.



PROOEMIUM

C. L. S.



mponenti mihi vitæ academicæ finem, ſummosque in arte honores ac privilegia ambienti, ex lege hujus academiæ ſancta, diſſertatio conſcribenda erat. Circa argumentum, quod diſputandum ſumerem, diu multumque hæſitavi, donec tandem hæc de lochiis *doctrina mentem ſubiit. Sed quum nec cupidum, nec capacem me ſentirem eundi*

— — — — — per loca nullius ante
— — — — — trita ſolo

hoc thema in initio ſepoſui; præſertim memor graviſſimi poëtæ conſilii:

Sumite materiam veſtris, qui ſcribitis, æquam
Viribus, & verſate diu, quid ferre recuſent,
Quid valeant humeri.

Qui-

Quilibet enim cognitum atque perſpectum habet, ad hanc doctrinam, pro dignitate tractandam, requiri judicium multa experientia ſubactum, quod quam exiguum ſit in me juvene, ultra principia medicinæ prima non ſapiente, & cui ad lectum ſalutarem artem diſcendi occaſio fuit plane nulla, probe ſcio. Poſtea vero hanc materiam, quæ quotidie magis arridebat, ulterius meditans in mentem incidit a tirone modo tentamen, *neutiquam vero omnibus numeris abſolutum opus, poſtulari, illam iterum reſumſi. Nam*

— — — — — quid tentare nocebit?

Collegi igitur ex optimis auctoribus ſpecies lochiorum vitiatas, eas in claſſes diſpoſui, & dein in eorum cauſas & medendi rationem ſecundum principia, quæ ILLUSTRES *hujus Academiæ* PROFESSORES *me docuerunt, inquiſivi. Sic nata eſt diſſertatio, quam B. L. præſentem vides; & ſic reddo illis, qui jure quodam ſuo id a me repoſcunt, ſpecimen, ex quo judicare valent, quid in re medica ſciam, quid neſciam. Vale. E muſeo pridie Calendar. Octobr.* CIↃIↃCCLXVI.



DIS-



DISSERTATIO INAGURALIS
MEDICA
DE
VITIATA LOCHIORUM QUALITATE.



QUID SINT LOCHIA.

§. I. Humoris primum rubri, dein rubelli, porro ſeroſi, & tandem gelatinoſi, plus minus ſpiſſi, effluvium lentum, primis poſt partum, vel abortum, diebus ex locis muliebribus contingens *lochiorum* (*a*) nomine inſignitur. Probe vero ab his diſtinguendum eſſe aliud ſanguinis profluvium, quod hæmorrhagiam uteri

(*a*) Quod ad Etymologiam hujus vocis attinet, valere & hic: *Grammatici certant & adhuc ſub judice lis eſt* (*) quilibet me non monente, videt. Alii

(*) Horatius de arte poëtica Lib. I. verſ. 69.

uteri post partum (*perte de sang*) artis obstetriciæ periti appellant, in qua sanguis non leniter exit, sed affatim, cum impetu, & tanquam pleno fluento, prorumpit, effectus inde oriundi sat abundeque testantur. Illa enim sanguinis profusio utcumque sanitatis latitudine comprehenditur, dum hanc ad statum præter naturam se habentem ablegant omnes. Quum vero lochia fluunt, neutiquam ille tantummodo sanguis, qui in finibus substantiæ spongiosæ matricis congestus fuerat, maxime ibi, ubi placenta adhæserat, exit, & qui de tota humorum massa, data porta, huc ruit; sed etiam membranæ chorii, amnii frustula, placentæ lacinia, & varia, quæ forte adhuc restant, tomenti scruta, putrescendo soluta, colliquata eluuntur. Totus enim uterus a sanguine, quo turget, & illius superficies a variis rebus, jam excluso fœtu inutilibus, liberandus est (*b*). Hinc forte est, cur veteres omnes has quisquilias ex matrice everrendas purgamenta dixerint. Multa vero si spectamus lochiorum causam, statum naturalem ratione coloris, odoris, consistentiæ, temporis, modi, quantitatis, utilitatis, enodanda forent, quæ tamen a physiologis (*c*) uberius exposita, & a proposito meo aliena, lubentissime mitto.

DIVISIO LOCHIORUM.

§. II. Attamen operæ pretium erit paucissimis lochiorum, quas etiam in statu

---

Alii enim λόχια derivant a λόχειν cubare, quod sint purgamenta enixarum, J. B. C. DE LA DUQUERIE lexic. med. etymolog. *Paris* 1692. p. 104. alii vero a λοχάω insidior, quia maximas puerperis insidias struerent, deducunt. Quidquid horum sit, nobis perinde erit, varios hujus vocis significatus notasse, in præsentia nobis sufficiat. Adhibetur vero apud HIPPOCRATEM λοχεία scilicet κάθαρσις vel τὰ λοχεῖα 1° de muco sanguineo, qui eo tempore, dum partus instat, prodit (*les Marques*) (**), & qui præcedit purgationem a partu consequenti; 2°. de purgatione puerperii, quæ primis post fœtum enixum diebus procedit, EROTIANI vocum, quæ apud HIPPOCRATEM sunt, collectio *Venetiis* 1566. p. 72. 3°. de secundinis, id quod probat locus DIOSCORIDIS Lib. III. C. VI. p. 173. edit. Francof. 1598. collatus cum translatione, quam dedit PLINIUS Lib. XXVI. C. 15. Confer. etiam FOESII *œconom. Hip. alphabet* sub voce λοχία.

(**) LEVRET *l'Art des accouchemens à Paris* 1761. §. 482. p. 83.

(*b*) ILL. G. VAN SWIETEN *Commentar. in aph.* BOERH. T. IV. p. 604. (*c*) HALLER *Elem. physiol.* T. VIII. C. XXXVIII. §. 14. p. 450. L. B. 1766. EJUSDEM *prælect.* T. V. Part. II. p. 409. *edit. Gotting.*

ſtatu maxime naturali conſtituunt artem obſtetriciam exercentes, ſpecies exponere. Non enim ſemper idem latex emanat, ſed diverſo tempore diverſus. Hinc lochia diſpeſcuntur in *rubra*, atque *alba* (*d*), illa præcedunt & obtinent tamdiu, donec liquor ruber fluere deſinat; hæc vero ſequuntur, ſcenam claudunt, & adeſſe dicuntur, quum liquor loturæ carnis ſimilis, quæ ſenſim ſenſimque mutatur in ſerum, mucum tenuem, & tandem ſpiſſum, cremori lactis, vel puri bono perſimilem, ſtillat.

NATURA SANGUINIS LOCHIALIS.

§. III. Qualis ſit natura ſanguinis, qui de genitalibus poſt fœtus excluſionem deperditur, olim magis diſceptatum fuit. HIPPOBRATES (*e*), medicorum Patriarcha, ſanguinem effluentem habuit pro tali, qualis in toto corpore eſt, „ *dum procedit*, inquit, *ſanguis veluti a victima*, „ *ſi ſana eſt*, & *ſana futura eſt mulier. Si vero mulier ſana non eſt*, „ *neque ſana futura eſt*, *purgatio paucior* (loquitur autem de copia Atticæ heminæ unius & dimidiæ) „ *procedit*, & *ſpecie deterior*, & *non* „ *cito congelatur.*" Alii (*f*) vero adfirmant ſanguinem lochialem eſſe vitioſum, corruptum, a fœtus nutritione ſuperfluum. Recentiorum ex medicis plurimi priorem ſententiam amplectuntur, & ſanguinem lochialem eſſe eumdem, qui totum ſyſtema circulatorium replet, autumant. Hinc lochia naturalia fundunt ſanguinem floridum, qui

(*d*) DE LA MOTTE *traité complet des accouchemens à Leide* 1729. Lib. V. Cap. VI. p. 621. MAURICEAU *traité des maladies des Femmes groſſes à Paris* 1740. T. I. Lib. III. cap. 9. p. 411. SMELLIE verhandeling over de Vroedkunde Amſt. 1765. T. I. Lib. IV. Cap. I. p. 239. ſeqq. (*e*) *De natura pueri* Sect. XII. T. I. p. 142. & *de morb. mulier* Lib. I. Sect. LXXXXVIII. T. II. p. 485. *edit. Lindenianæ* 1666. DURETUS *in coacas prænotiones* HIPPOCRATIS L. B. 1737. Lib. III. Sect. I. p. 423. RAMAZINI *oper. Lond.* 1717. *p.* 316. (*f*) MAURICEAU l. c. T. I. p. 410. Sunt qui religione ducti, ne ſcripturæ ſacræ auctoritatem lædant (Levit. XII. verſ. 2. ad 8.), ambabus hanc ſententiam amplectuntur, non cogitantes leges judæorum cæremoniales, ut pleroſque eorum ritus populariter ex præjudicatis vicinarum nationum opinionibus inſtitutos, a DEO ob ſapientiſſimas rationes permiſſos fuiſſe. Confer. SPENCER *de legibus Ebræorum ritualibus*, & M. LISTER. *exercitat. medicinal.* Amſt. 1698. p. 152. SCHMID. *medicus biblicus Züllichau* 1743. Part. II. Sect. II. Cap. 5. p. 447.

qui illico, dum exit, coagulatur; (*g*) præternaturalia vero, varios a ſtatu naturali recedentes colores ſiſtunt. Degenerari interim facillime ſanguinem a plethora tempore graviditatis inducta, (*h*) & cacochymias varias oriri poſſe, facillime largior; ex quo fonte corrupto dein rivuli non poſſunt non promanare inquinati. Nec negabo humores, etiam in ſaniſſimis, ſæpe ex genitalibus male mixtos fluere, quod tamen colluviei & ſordibus in his partibus copioſiſſimis, præſertim, ſi ad äerem æſtuoſum immundities acceſſerit, ſanguinem ſanum brevi corrumpentibus, quam ipſi humorum maſſæ tribuere vellem.

VITIA LOCHIORUM IN UNIVERSUM.

§. IV. Hunc autem puerperarum fluxum varia vitiorum genera in ſtatu præternaturali pati, ex pathologia & experientia clinica, ſatis abundeque liquet (*i*). Sunt enim quæ *quantitatem*; ſunt, quæ *qualitatem*; ſunt tandem quæ *motum* ſpectant *abnormem*. Priora ſcilicet quantitatis vitia ubique deſcripta leguntur; poſteriora duo non æque. Seligam pro argumento diſſertationis qualitatis vitia. Conditiones qualitatis, quæ in humore hic adfluente lædi poſſunt, variæ ſunt, quæ tamen omnes ad *odorem*, *colorem*, *conſiſtentiam* & *acrimoniam* commode referuntur, unde ſequentes ſpecies lochiorum conſtituere licet, ſcilicet, *fœtida*; dein decolora nempe *lactea*, *bruna* & *nigrescentia*, *building*, *viridia*; porro *aquoſa*, *ſeroſa*, *pituitoſa*, *purulenta*, *grumoſa*; quibus tandem magis compoſita & rariora ut *acria*, *ichoroſa*, *verminoſa* ex obſervatorum analibus addi poſſunt.

LOCHIA FOETIDA.

§. V. *Lochia fœtida* quæ vocentur ex terminis patet. Quum vero fœtor

---

(*g*) MAURICEAU *aphorism.* 254. LEVRET. ad not. ad h. l. BONETI *Polyalthes Genevæ* 1694. T. III. p. 325. MAURICEAU l. c. T. I. p. 410. (*h*) HOFFMANN. *Oper. omn. Genevæ* 1761. T. III. p. 401. VALESII *commentar. in* VII. Lib. Epid. HIPP. *Neapoli* 1652. ad Lib. II. Sect. II. p. 64. ILL. GAUBII præceptoris æternum devenerandi *inſtitut. pathol. med. Lugd. Bat.* 1763. §. 932. (*i*) IDEM l. c. §. 832. SYLVII *opera omn. Amſt.* 1679. Lib. III. Cap. VIII. p. 556.

tor in corporis animalis humoribus non obſervetur, niſi quum putreſcere incipiunt, lochia fœtida ſimul putrida comprehendere, negabit nemo. In ſtatu naturali purgamenta uteri odorem habent nullum, niſi forte huc trahas levem, fatuum & ſingularem illum, qui liquoribus ex utero & vagina fluentibus, etiam in ſaniſſimis, proprius eſt, & in quo halitu animalitatis characterem impreſſum diſtingueres. Quando igitur graveolentia obſervantur, cauſa quædam ſubſit neceſſe eſt.

CAUSAE.

§. VI. Referimus vero inter cauſas hujus ſymptomatis qualitatis læſæ:

α. Cacochymiam humorum ſcorbuticam. Acrimonia ſcorbutica, ſi non ſemper, quod tamen admodum probabile videtur, ſaltem in plerisque caſibus, ponit maximam humorum proclivitatem ad putredinem; diviſio enim illa, qua Scorbutum diſpescunt in acidum, muriaticum & alcalicum non ſemper ab experientia confirmatur, & omnis potius ſcorbutus putridam cacochymiam, ſaltem in fine, quum malum ad ſummum perventum eſt veſtigium, ſiſtit. Docent hoc phænomena, quæ in corporibus ſcorbuto tentatis obſervantur (*l*), docent etiam ipſæ cauſæ, quæ in ſcorbuto producendo maxime efficaces habentur. Quum igitur tale labe correpti, animam fœtidiſſimam ſpirant, ſanguinem acerrimum vehunt, qui rodens vaſa plagas lividas, tandem nigras, & fœtido ichore manantes, producit, & ſanguis ipſe ex ore & naribus corruptus & ſemi putridus effluens obſervatus fuit (*m*): non mirum erit, ſi hæc ſcorbutica lues totam humorum maſſam, quam late patet, inficiens, etiam in ſanguinem lochialem (*n*) propagata ſe monſtret. Tanto citius vero hoc vitium generatur, quo facilius talis ſanguis in matrice & vagina reſtagnans, antequam foras erum-

(*l*) S. DE MONCHY over de Ziektens van het Scheepsvolk / in de Verhandeling van de Maatschappy der Wetenschappen te Haarlem T. VI. Part. I. §. 34. p. 50. G. ANSONS Reise Rondsom de Wereld Amſt. 1765. Lib. III. Cap. I. P. 269. De ſcorbuto non marino idem teſtatur A. STORCK *anno med.* I. p. 22. ſeqq. Vindobonæ 1760. (*m*) STORCK l. c. (*n*) LEVRET. l. c. §. 47. Immo menſes fœtidiſſimos in virgine ex tali diſcraſia natos recenſet M. B. VALENTINI *prax. medicinæ infallibili Francofurti* 1711. p. 629.

rumpit, plenariam ſubit corruptionem. Rarius tamen ex hac cauſa, ſcilicet ſanguinis ſcorbutica & putrida diatheſi ſola lochia putrida exiſtere, lubens do, nam ſæpe talia obſervantur in feminis ſaniſſimis, quarum ſanguis nullo vitio laborat, hinc aliæ cauſæ eruendæ ſunt, quæ uterum propius ſtringunt.

β. Corpus relictum putreſcibile. Fœtu excuſſo feminam nondum in portu navigare, eſt res in praxi obſtetricali proh dolor! notiſſima (*o*), varia enim adhuc reſtant excutienda. Laciniæ tunicarum ovi, placenta vel integra, vel fruſta ejus relicta (*p*), dum imprudentiori manu evellendo, non vero deglubendo extrahitur, ſanguis in parietibus uteri reſtagnans, vel effuſus in matricis cavitatem, & hic in grumos abiens, ſunt corpora peregrina, quæ non niſi maximo cum periculo puerperæ remanent, & quæ facili negotio ob potentiſſima, quæ in utero dantur, putredinis inſtrumenta in liquamen fœtidum, horrendiſſimam mephitim ſpirans, qualis vix in alia corporis parte invenitur, diſtabeſcunt (*q*), quo ſanguis inſequens ſemper inquinatur, tandemque teterrime olens extruditur.

γ. Malum topicum locorum obſcœnorum. Innumerabilibus periculis &

(*o*) De la Motte l. c. Lib. V. Cap. I. p. 587. ſeqq. (*p*) Mauriceau l. c. T. II. obſ. CIV. CCXXXXIIII. CCCXXXVI. CCCLXII. DLI. DLXXVIII. Morgagni *de ſede & cauſa morbor.* T. II. operum Epiſt. XXXXVIII. §. 28. Haller *not. ad prælect.* Boerhaavii T. V. Part. II. p. 404. Levret l. c. Part. III. Cap. III. Artic. I. Sect. III. §. 802. & 849. Speciatim obſervata ſunt lochia fœtida ab infante mortuo & corrupto Mauriceau T. II. obſ. CCLXIV. DXVIII. Stalpart van der Wiel Geneeskundige Aanmerkingen Amſt. 1682. Cent. I. obſ. LXXI. qui etiam multos alios auctores, qui ſimiles habent obſervationes, citat; ab abortu & forte placenta relicta Pelargus *obſerv. clinic. anni* 1727 & 1728. p. 707. a placenta fruſtatim extracta. Idem l. c. p. 566. a placenta putrefacta in utero, vivo infante Mauriceau T. II. obſ. CCLIV. a lochiis ſuppreſſis van Swieten T. IV. p. 298. & Hoffmann. T. II. p. 160. (*q*) Hic opponi nequit, quod fœtus ſæpe diu remaneat mortuus, & quoque ſecundinæ, ſine ſignis putrefactionis, in priori enim caſu ob membranas integras, aëri, ſine quo vix datur putredo, præſcinditur liber acceſſus, & in poſteriori ſecundinæ adhuc arctius adcretæ, vi vitæ pergunt creſcere in molas, & ſic putredo arcetur. Mauriceau l. c. T. I. lib. I. Cap. 10. Idem *Aphor.* 104. & Levret. ad h. l. E. Camerarii *Syſtema Cautel. Med. Francofurti* 1741. p. 553. Morgagni. l. c. Epiſt. XXXXVIII. §. 28.

& læſionibus uterus & partes vicinæ in partu exponuntur, variæ enim dantur potentiæ nocentes, quæ locis muliebribus adplicatæ, hæc male habent: Fœtus mole grandior, hydrocephalus, viis anguſtioribus objectus, ſiſtit paragomphoſin capitis (*tête en clavée*), quæ facillime diſtractiones, contuſiones, lacerationes, imflammationes inducit, unde ob horum locorum iniquitatem gangræna, (*r*) ſphacelus, materiæque gangrænoſæ cum ſanguine effluxio. Deinde ſitus uteri, vel fœtus, obliquus in cauſa eſt, cur vagina, uterus, inter marginem pelvis ſuperiorem, præſertim vero pubis, vel protuberantem oſſis ſacri ſuperiorem partem, & caput in has partes incurrens, intercepti contundantur, lacerantur, & mortificatione ſæpe ſubitanea ſiderantur. Rudior porro harum partium in δυστοκίᾳ (*s*) contrectatio, imprudens ferramentorum, ex more prioris ſeculi adplicatio, diriſſimas ſæpe læſiones inducunt. Et veſica urinaria & inteſtinum rectum ab his injuris non immunes ſunt (*t*), laceratæ, quaſſatæ & ſideratione deſtructæ, patent in vaginam proximiorem ſuasque materias fætentes, vel in putredinem proniſſimas, liquoribus emanantibus admiſcent, hosque fœtido odore imbuunt. Ulcus denique cancroſum, jam ante partum præſens, ſaniemque fœtidam fundens, ſanguini lochiali ſimilem maculam adfricare poſſe experientia (*v*) docuit.

SPECIES LOCHIORUM FOETIDORUM.

§. VII. Dantur in his ratione odoris vitiatis lochiis omnino differentiæ, quæ tamen verbis deſcribi vix poſſunt. Præter cadaveroſa apud auctores adnotata invenio ſtercorea & ammoniacalia. (*x*) Priora pædorem ſpirant, quem alias in excrementis alvinis detegimus, & oriuntur, quum ex quacumque cauſa ruptione, contuſione vel

(*r*) Levret. l. c. §. 1003. ſeqq. (*s*) P. Aegineta Cap. LXVI. p. 179. Pelargus. l. c. ann. 1727. & 1728. p. 123. (*t*) Mauriceau T. II. Obſ. LXXVI. DLXXVII. & Levret. ad h. l. Mauriceau *derniers Obſerv.* LXXXVIII. & Ejusd. *Aphoriſ.* CCLXXXIV. Smellie l. c. T. I. §. 453. 454. C. v. Solingen: Verzonədere Aanmerkingen. p. 40. (*v*) Mauriceau T. II. obſ. CCLXIV. DLVII. (*x*) Levret. l. c. §. 854.

vel gangræna inteſtinum rectum hiat in vaginam; poſteriora vero, quum veſicæ urinariæ corporis, vel colli paries matricem reſpiciens, deſtructus eſt, ut unum cavum pateat in alterum. Urina enim tunc fluens in vaginam aëri liberiori expoſitus, in rugis reſtagnans, facillime in corruptionem abit, (*) ſalem ſuum urinoſum, ſali ammoniaco-volatili perſimilem, extricat, qui in ſanguine ibi quoque adfluente fermenti ſeptici munere fungitur, ſimilemque labem generat, ſalem evolvit, vel ſolus cum ſanguine puro permiſtus effluit, naresque ſpecifico ſuo odore ferit. Ex hactenus dictis lochiorum ſtercoreo-ammoniacalium naturam liquere arbitror, quippe in quibus utriusque materiæ excrementitiæ, ſanguini emananti admixtæ, ulterior corruptela concurrit.

DIAGNOSIS.

§. VIII. Vitium hoc in univerſum ſpectatum facile puerperæ, adſtantibus & medico, etiam invitis, ſe manifeſtat; ſplenia enim puerperis ſubſtrata, liquoribus ex genitalibus promanantibus madida, ſi permutantur dirum tetrumque per äera mittunt odorem. Probe tamen diſtinguat medicus, neceſſe eſt, lochia fœtida ab ingrato odore, quem ſtragula, vel lintea ſuppoſita, ſpargunt, quum femina diutius in lecto detenta fuit, non mutatis interim linteolis (**). Ex quanam autem cauſa oriatur malum cognoſcere, majori certe eget ſcrutinio. Acrimoniam humorum ſcorbuticam ſubeſſe monſtrant ſymptomata, jam ante partum præſentia, ut „ *ſpontaneæ laſſitudines; corporis gravitas; dyſpnœa præſertim ex motu corporis; gingivarum putrefactio; oris graveolentia; ſanguinis e naribus crebra eruptio; ambulandi difficultas; crurum nunc intumeſcentia, nunc extenuatio, in iisdem perpetuo maculae lividae, plumbeæ, flavæ, aut violaceæ; faciei color plerumque ex pallido fuſcus* (y); atque cauſæ prægreſſæ, quæ tali malo occaſionem præbere potuerunt, cujus generis ſunt: victus animalis in putre-

(*) Boerhaave *Elem. Chemiae Londini* 1732. T. II. *Proceſſ.* XCII. p. 122. Levret. l. c. §. 847. Van Swieten T. IV. p. 605. (y) Sydenham Opera L. B. 1754. p. 631.

tredinem pronior; anni tempus calidius; temperamentum cholericum vel ſanguineum; tranſpiratio & aliæ maſſæ ſanguineæ depurationes impeditæ; excrementa cohibita aliaque plura (z). Partem peregrinam relictam cognoſcimus ex relatione adſtantium, ſi ſecundinas plane non, vel pro parte tantum exeuntes viderunt, & ex abſentia doloris, ardoris gravioris, & ex nixibus poſt partum plerumque pergentibus. Si diu excruciata fuit doloribus his, poſt partum dictis, & etiam interdum grumi, vel fruſtula membranarum, aut placentæ exiverint, jam vero inſequitur liquor halitum tetrum effundens, conſtat partem retentam corrumpi. Sunt, qui ex maculis linteis impreſſis, præſentiam alieni corporis in matrice dignoſci poſſe, ſcilicet maculas livido circulo circumdatas eſſe (*a*), adfirmant. Non raro etiam corpus corruptum rejicitur per intervalla, dum interea ſanguis, vel alia materia fluere pergit (*b*). Ex tertia cauſa natum ſcimus adcurata inſpectione eorum, quæ excernuntur, fæces enim per vulvam exire, & lochia maculare non poſſent, niſi communicatio inter has partes detur. Læſiones partium optime partus hiſtoria, & exploratio immiſſo in loca digito docet. Sic v. g. læſiones veſicæ urinariæ comperimus, quum immiſſo in veſicam cathetere (quæ operatio in feminis facillimo negotio peragitur), eodem tempore digito in vaginam introducto, catheter nudus ſentitur.

PROGNOSIS.

§. IX. Præſagia in hoc triſti ſtatu formanda variant pro cauſa mali. Quum vitium in fluidis tantum hæret (§. VI. α.), & nondum altiores egit radices, & ſolida atque viſcera utcumque robore ſuo adhuc gaudent, non raro curam, licet difficiliorem, tardiorem, admittit. Periculi plena res eſt, ſi corpus in utero reſtans, (§. VI. β) putredine reſolvitur, ſanguinemque lochialem inficit, ſubſtantia enim uteri adhuc ſpongioſa facillime aliquid imbibit, & ulcus tabificum contrahit. Infauſti præſertim ominis eſt, dolor & tumor ventris in hoc caſu

(z) Gaubius *Inſtitut. Patholog.* §. 313. (*a*) Levret. l. c. §. 849. (*b*) Van Swieten. T. IV. p. 605. Levret. l. c. §. 850.

casu non remittentes, sed perennantes, uterum enim jam in consensum trahi & adfici (*c*) significant. In tertio casu (§. VI. γ.), lochia fœtida superveniunt, ut symptoma alterius morbi, gangrænæ nimirum, quæ in his partibus laxioribus, multa tela circumvolutis, serpendo longe lateque grassatur, hinc omnino malum gravius minantur (*d*), licet non semper letalia sint (*e*). Spurcum plerumque remanet symptoma aliud, nempe excretio urinæ vel fecum vel utriusque materiæ, per genitalium rictum, nisi sideratio cito sedata fuerit; pars enim destructa major ægre resarcitur.

CURA.

§. X. In curatione hujus mali medicus ad causas respiciat, hisque medelam adcommodet, necesse est. Hac igitur ex ratione

α. *Cacochymia scorbutica putrida removenda est.* Ardua sane res & omnino difficilis est vitium humorum, quod plerumque erroribus diætæ ægre detegendis, vel corrigendis, debetur, remediis debellare, eradicare; nam quod uno die medicamentis adstruimus, altero iterum destruitur. Deinde integram humorum massam, partibus peregrinis scatentem, intra unum vel alterum diem ad priorem puritatem vindicare velle, idem foret ac Augiæ stabulum purgare. De cura igitur radicali post totum lochiorum & puerperii tempus absolutum demum serio cogitare possumus. Interim medicus, ut partem saltem sui officii exsolvat, sequentibus indicationibus satisfacere allaborat.

1°. *Fractas vires restaurat, excitat, sustinet.* Fit & peragitur hoc maxime alimentis, genio mali oppositis, scilicet præparatis ex avena, hordeo, oryza, sagu, radicibus, foliis, caulibus sive oleribus mollioribus, herbis nasturtinis vel sic dictis antiscorbuticis, fructibus horæis. Priora horum cum aqua, vel sero lactis cocta, varia ciborum genera præbent. Nec etiam jus carnium penitus rejiciendum

(*c*) Mauriceau T. II. obs. DLXXVIII. (*d*) L. Riverii *Opera Francofurti* 1669. Lib. XV. cap. XI. p. 464. J. Michaelis *Opera Norimberg.* 1688. p. 222.
(*e*) Riverius. l. c.

dum eſt, modo aceto vini, ſucco citri, limonum, aurantiorum, acidulum redditum ſit. Tandem ad vires melius redintegrandas, vinum acidulum, ut Rhenanum, Moſellanum, modice exhibitum, vires inſtaurando, leniter ſtimulando, putredinem arcendo, & evacuationem particularum putridarum per colatoria juvando, egregie inſervit.

2do. *Ulteriorem acrimoniæ putridæ progreſſum inhibet.* Obtinetur hoc diæta vegetabili acidula, ut ante jam expoſuimus, & dein remediis ſic dictis antiſepticis, quorum primaria ſunt: Flores chamomil. cortex peruv. ſcord. ſal volatil. corn. cerv. vel ammoniac. ſal alcali fixum, crocus, myrrh. Priora exhibentur in decoctis, inſignesque vires putredini reſiſtendi habent (*f*). Hujus loci etiam ſunt mel, oxymel ſimplex, ſacchar. manna, ſucci fructuum horæorum & aliorum vegetabilium recentes, acetum, acida mineralia, aliaque plura (*g*).

3tio. *Putridum leniter evacuat.* Duæ primariæ dantur viæ, quibus natura utitur ad exterminandas partes craſſiores corruptas, inteſtina puta, atque renes. Purgantia itaque leniora ad hunc finem impetrandum optime conducunt; ut ſerum lactis ſimplex, vel tamarindinatum, mel, manna, caſſia, quæ alvum ſervant laxam, & ſaltem auctam corruptelam a ſegnitie & ſiccitate alvi oriundam, præcavent. Purgantia vero fortiora tantum abeſt, ut utilitati ſint, ut naturæ ordinem turbent, revellendo humorum impetum ab utero, & ad interiora ducendo, adeoque lochia ſupprimendo noceant. Putridi evacuandi cauſa tutius adhibeantur placide reſolventia, diuretica, ut decocta fructuum horæorum acidulorum dilutiora, rad. cichorei, ſcorzoneræ, fœniculi, maxime recentium, ſi haberi poſſunt, herbæ & florum chamomil, millefolii & cet. Quibus diligenter adhibitis, tam diu, quam diu puerperio cubat femina, malum ſaltem mitigatur, donec lecto puerperali valedicens, aeris liberioris, motus animalis, aliorumque remediorum, huic dyſcraſiæ oppoſitorum, vires ex legibus therapiæ experiri poteſt.

β. Cor-

(*f*) PRINGLE *Philoſ. Tranſact.* n. 495. 496. VAN SWIETEN T. IV. p. 93. VOGEL *Hiſtoria Mat. Med.* p. 7. 82. 144. 288. 146. 328. CRANTZ *Materia Medica* Part. I. p. 35.

β. *Corpus peregrinum in matrice restans:*

1°. *excutiendum.* Peragitur hoc manu tam armata, quam nuda, peragitur etiam remediis. Sed magna hic opus prudentia, si primis a partu horis de parte placentæ relicta certi sumus, & constrictio orificii uteri non nimia foret, vel leni vi dilatari posset, præstaret omnino saltem duos digitos, medium & indicem, lege artis, immittere (*h*), atque cum his in morem cancri arripere partem objectam atque educere. Suadent hoc, si commode fieri potest, principes in hac arte viri (*i*). Quum vero spasmus nimius in his partibus fureret, conduceret & hic:

Dum furor in cursu est, currenti cede furori,
Difficiles aditus impetus omnis habet:
Adgrediar melius tunc, quum sua vulnera tangi
Jam finet & veris vocibus opus erit.

Consultius igitur erit, illud expectare momentum, quo segmentum uteri inferius, spasmo non detentum, introitum permittit, vel natura ipsa movere incipit (*k*); vis enim nimia adhibita (*l*) tristissimos hic produxit effectus, hinc in adhæsione placentæ nimia, vel constrictione oris uteri pertinaciori, naturæ totum opus committendum est (*m*). Huic fini obtinendo, scilicet excussioni placentæ, etiam respondet forceps singularis, *pincette à faux-germe* dicta, cujus constructionem & prærogativas exponit LEVRET (*n*). In ultimo ancipiti casu, ubi manui accessus non datur, possent ope metrenchytæ decocta emollientia.

V. G.

(*g*) BOERHAAVE *Institut. Med.* §. 1176. (*h*) ROEDERER *Element. Artis Obstetriciae Gott.* 1759. Cap. XIV. (*i*) MANNINGHAM, CHAPMANN, VAN SOLINGEN, HATRANFT, HORN, LEVRET, MAURICEAU, T. I. p. 251. seqq. T. II. Obs. CIV. CCVIII. CCLXXXXVII. CCCXXXVI. CCCLXXXV. CCCCXIV. BOERHAAVE *Aphoris.* 1376. & VAN SWIETEN ad h. l. (*k*) MAURICEAU T. II. Obs. CLXXVI. CCXXXV. CCCXXXVIII. (*l*) MAURICEAU Obs. CCCCLXXVIII. DIV. HALLER. *Elem. Phisiol.* T. VIII. p. 448. (*m*) MAURICEAU T. II. Obs. CCCCLXXIV. DIV. RUYSCH *Advers.* II. n. 10. TITSING. Diana. Amst. 1750. p. 738. LEVRET. *Memoires de Chirurg.* T. III. p. 230. 231. (*n*) *Suite des Observations sur les Accouchemens laborieux, à Paris* 1751. Art. XII. p. 285.

V. G. Sem. lini, rad. altheæ cum lacte & aqua placide impelli, (*o*) ut reſiſtentia ex ſpasmo in ore nata minuatur, corpus ſolvatur, & ſic exterminari poſſit. Syringam huic negocio adaptatam deſcripſerunt auctores (*p*). Balnea, præſertim ſemicupia, vel & vapores genitalibus admiſſi, laxando fibras in excutiendis peregrinis in utero præternaturam ſtabulantibus, egregie quoque ſe gerunt (*q*). Alii (*r*) remedia interna ex alöe, myrrha, maſtiche, G. elemi, animæ, croco ſcordio, ſummitatibus millefolii, & inde parata alia ariſtolochica, laudant.

2do; *Vel diſponendum, ne nimis noceat.* Caveri poteſt, ne relicta in matrice exitium adferant, dum impreſſionem, quam in hanc partem facere poſſint, & reſorptionem in maſſam ſanguineam, quantum fieri poteſt, impedimus, humoreſve contra putredinem munimus. Prioribus indicationibus ſatisfit probe eluendo uterum ter quater de die injectione liquoris emollientis, abſtergentis, antiſeptici, ut decocti hordei, infuſi flor. chamomælæ cum melle (*s*), vel etiam decoctum rad. althææ cum camphora (*t*), ſic enim ſordes educuntur, corruptio ulterior & reſorptio inhibentur. Quum vero impoſſibile ſit, omnem reſorptionem præpedire (*u*), humores per ſupra dicta (*α*. 1. & 2.) condiendi & depurandi ſunt, donec intus hærens & computreſcens eductum ſit omne.

γ. Malum topicum curandum. Hoc conſiſtit vel in gangræna partis, vel in ulcere cancroſo ad orificium matricis (§. VI. *γ*.) In priori caſu indicationes forent, corruptionem cohibere, ſeparationem vivi a mortuo promovere, ulcus depurare, deterſum conſolidare (*v*).

Quis

(*o*) MAURICEAU. T. I. p. 259. T. II. Obſ. CLXIX. CCCCXL. *Mem. de Chirurg.* T. III. p. 202. (*p*) DIONIS *Cours d'operations de Chirurgie, à Paris* 1757. p. 308. HEISTER Heelkundige Onderwyzingen. Amſt. 1755. p. 135. 139. 540. MAURICEAU. T. I. Lib. II. cap. XXXII. (*q*) LEVRET. *L'Art des Accouch.* §. 1095. ſeqq. (*r*) HOFFMANN. T. IV. p. 299. (*s*) MAURICEAU T. II. Obſ. CLXXVI. CCXXXXIV. DLI. (*t*) LEVRET. *Mem. de Chirurg.* T. III. p. 230. 231. (*u*) MAURICEAU T. II. Obſ. CCLIV. (*v*) BOERHAAVE *Aphoriſ.* 423. & ILL. VAN SWIETEN ad h. l.

Quis vero, me etiam non monente, non videt, iniquitatem loci, indicationes, quoad maximam partem, irritas reddere, quum proximior accessus nec manibus, nec oculis, nisi rarissime datur, (*) & res in obscuro peragitur. Relinquentes igitur primarium negotium naturæ, sibi ipsi non raro sufficienti, possumus tamen aliquid movere, & progressum ulteriorem mortificationis cohibere, cortice Peruviano interne dato, vel etiam ejus, aut florum chamom. (**) decocto saturato in matricem injecto, hujus enim facultatem antisepticam multoties confirmatam laudant plurimi (*x*), & experimenta Cel. PRINGLE evincunt. Sedata gangræna obtinetur ulceris depuratio abstergentibus immissis, ut decocto flor. rosar. rubr. herb. agrimoniæ, salviæ, hyperici, marrubii cum melle; consolidatio vero iisdem additis balsamicis, ut balsam. de copaivæ, de mecha, peruvian. canadens. terebinth. myrrh, olibano, styrace (*y*). Dum vero hæc aguntur, cavendum, ne parietes vaginæ læsæ, & sibi incumbentes conferveant; concrescere enim posse, HIPPOCRATES (*z*) jam observavit. Impeditur autem symphysis cylindro utrinque aperto, & in parietibus variis foraminibus pertuso, ex cornu vel ebore, confecto, qui immissus in vaginam, usque dum sanatio peracta sit, materiebus hic confluentibus exitum concedit, immo facilitat, & parietum coalitum avertit (*a*) Rarissime vero contingit, ut consolidatio perficiatur, si pars vesicæ vel intestini recti latior simul cum vagina emortua atque deperdita fuerit, ob materiam perpetuo effluentem, difficulter contactus partium immediatus, qui ad concretionem absolute necessarius est, obtinetur, manet igitur via aperta, & omne quod reliquum est vitæ miserrime transigunt feminæ, reddendo unum, vel utrumque excrementum per vulvam. Ad substantiam deperditam, quantum fieri potest, resarciendam & consolidationem impetrandam soluta eschara, per longum temporis spatium, emollientibus loca frequentius eluere, & ut apertura melius claudatur ca-

(*) STALPERT VAN DER WIEL l. c. (**) Qui inter Antiseptica supremum fere locum per experimenta CEL. PRINGLE occupant. VOGEL l. c. p. 1449. (*x*) CRANTZ l. c. T. II. p. 28. LIEUTAUD Synopsis Praxeos Medicæ. Amstel. 1765. p. 329. 556. (*y*) CRANTZ l. c. P. III. p. 137. seqq. (*z*) *De Morbis mulier.* Lib. I. Sect. LXXVIII. (*a*) THEBESIUS Hebammen Kunst. Lignitz. 1751. p. 436.

catheterem continuo in urethra relinquere LEVRET (*b*) suadet; sic enim ob renixum imminutum copiosior caro protruditur, effluvium urinæ per vulnus impeditur, labiaque citius coëunt. Quum vero fœtor originem suam repetit ex ulcere cancroso orificii vel vaginæ, de radicali cura vix cogitare licet, hinc diæta molli, blanda, diluentibus, mucilaginosis immissis, malum tolerabilius reddatur. De quibus tamen infra plura dicenda recurrunt.

δ. *Symptomata urgentia mitiganda sunt.* Huc referimus

1°. *Fœtorem nimium*, qui si feminæ, vel iis, qui famulantur, intolerabilis est, corrigitur suffitu, halituque grato ex aromatibus suaveolentibus, cinamomo, caryophyllis, in pulverem tusis, cum aceto vel vino infusis, & in vase fictili vitriato, prunis imposito, excitatis, quibus vaporibus & ægra & adstantes recreantur, fœtorque facilius ferri potest. (*c*) In pauperibus idem præstant baccæ juniperi, herba salviæ, menthæ, rorismarini cum aceto, igni, ut antea diximus, expositæ.

2°. *Dolores vehementiores*, qui ab acrimonia humoris corrodente oriuntur, mucilaginosis, diluentibus, emollientibus, sæpius injectis, tolluntur. Si vero his non cederent & pertinacius sævire pergerent versus vesperam, sirup. diacod. vel laud. liquid. SYDENHAMI, vel opium ipsum, exhibere licet (*d*).

3°. *Febrim.* Ob resorptionem materiæ putridæ, quæ vix penitus impediri potest, febris cum dolore capitis aliisque symptomatibus febrilibus, non raro acrius urget (*e*), cui medemur diluentibus, refrigerantibus, acidulis, aere moderate calido, & stragulis levioribus, aliisque ex therapia notis.

LOCHIA LACTEA.

§. XI. Sequuntur Lochia, quæ ratione coloris peccant: color in lochiis variis ex causis & varia ratione læditur. Agamus primum de *lacteis*.

(*b*) Adnot. ad MAURICEAU Aphorism. CCLXXXV. (*c*) SYLVIUS l. c. p. 557. (*d*) PAULL. AEGINETA Lib. III. cap. 63. p. 177. (*e*) MAURICEAU T. II. Obs. CCLXXXVII.

lacteis. In saniſſimis feminis fluxus lochialis ad finem tendens ad conſiſtentiam & colorem lactis propius accedit (*f*); ſed hoc ſenſu huc non pertinet. Dantur in ſtatu naturali etiam in utero virgineo vaſa, quæ verum lac, uterinum dictum, continent (*g*): præſertim vero in gravidis poſt partum in apendicibus lymphatico-arterioſis in ſuperficiem uteri internam inteſtinulis, ac convolutis anguillis ſimilibus, ut celeberrimi viri perhibent (*h*), lac invenitur. Hoc quoque non eſt hujus loci. Sed ſæpe contingit, ut lochia niveo ſuo candore lac referentia prodeant, quæ nonnulli pro vero lacte habuerunt (*i*); alii vero pro pure diluto, quod ſuperficies uteri interna excoriata in fine funderet (*k*), habent, pro priori ſententia multa militant. Lac eſſe verum chylum ſanguinis (*l*) nemo negat. Quod ſi igitur ob aliquod obſtaculum ſeceſſus chyli a ſanguine in mammis fieri non poſſet, chylus cum ſanguine, cujus naturam nondum protinus induit, oberrare pergit, & ex errore excretorum atque ſecretorm (*m*) in cavum uteri effluit (*n*). Confirmant hanc opinionem facilior lactis a ſanguine in puerperis ſeceſſio (*o*), & depoſitiones (*p*), ac evacuationes (*q*) lactis

---

(*f* Levret. *L'Art des Accouchemens* §. 822. (*g*) Haller *Elem. Phyſiol.* T. VII. Part. II. p. 23. 130. Idem T. VIII. p. 116. (*h*) Supra chorion effuſum liquorem albicantem, qui cremorem lactis non inepte referebat, vidit *Celeb.* Nortwyk *Uteri humani gravidi hiſtoria.* p. 10. Provecta jam graviditate ductus lacteos in utero adeſſe adfirmat Winslow *Expoſition Anatomique* à Amſt. 1752. T. IV. p. 67. *Traité du bas ventre* §. 623. & Astruc aſſerit totam ſuperficiem matricis, ubi non adhaeſit placenta, abſterſam plorare liquorem lacteum. *Taité des maladies des femmes*, T. I. p. 12. & tandem ultimis graviditatis temporibus lac in utero eſſe Hippocrates de Natura pueri Sect. XXI. T. I. p. 147. jam agnovit. Deidier Phyſiol. p. 119. Fizes de Generatione. p. 182. (*i*) Levret. Adnotat. ad Mauriceau *Aphoriſ.* CCLV. Haller. *Elem. Phyſiol.* T. VIII. Part. II. p. 23. 24. (*k*) Mauriceau *Aphoriſ.* CCLV. De la Motte l. c. Lib. V. Cap. VI. (*l*) Boerhaave *Praelect.* T. V. Part. II. p. 436. (*m*) Gaubius l. c. §. 401. 405. (*n*) Stalpart van der Wiel. l. c. cent. II. obſ. XXXVIII. qui plures ſimul Auctores recenſet, qui lochia lactea obſervarunt. (*o*) Van Swieten T. IV. p. 610. (*p*) Levret. *L'Art des Accouchem.* §. 146. 147. 149. 150. Puzos *Des depots laiteux.* Bikker **Verhandeling van het Zog der Vrouwen / Leyden** 1763. cap. XVI. p. 171. Morbum epidemicum ex metaſtaſi lactea in noſocomio Pariſino l'*Hôtel-Dieu* dicto, 1746. tam ſevere graſſantem, ut a viginti puerperis vix una evaderet, narrant *Mem. de l'Acad. des Sciences l'an* 1746. in cadaveribus puerpe-

lactis in aliis locis obſervatæ. Eadem enim ex cauſa, qua a mammis repercusſum lac in aliis locis exit, etiam uterum petit, præſertim ob conſenſum ſingularem (*r*), & coli, quod addit HALLER, analogiam (*s*), quæ inter has partes vigent.

CAUSÆ.

§. XII. Poſtquam igitur exiſtentiam lochiorum lacteorum evictam dedimus, neceſſe erit, ut in hujus phænomeni cauſas inquiramus. In univerſum vero omnis conditio, quæ facit, ut natura a copioſiori chylo, quem in gravidis & puerperis generat, ſe liberare non posſit, cauſa exiſtit hujus ſpeciei lochiorum decolorum. Speciatim vero oriuntur.

α. *A copia chyli majori, quam quæ in mammis omnis poſſit ſecerni.* Pono hic in mammis vitium nullum, ſed cauſam tantum in largiori chyli elaboratione quæro, cujus certa tantum quantitas ad ubera deponitur, reliqua errorem fluentium conſtituit, ex quo tandem fit error excretorum (*t*). Copia vero lactis abundantis, eſt vel abſoluta; vel relativa. Abſoluta obtinet, quum actu tanta ubertate chylus paratur, ut mammæ eum omnem recipere non poſſint. Exinde patet, cur fæminæ victu ſucculento, multa gelatina & ſucco nutritio turgido, utentes, & quæ labore vires corporis non frangunt, parum diſſipant, proniores ſunt in hoc malum. Relativa autem copia tunc adeſſe dicitur, quum chyli abundantia in ſe non peccat, ſed excretio & hinc ſecretio impedita eſt ob debilitatem vel morbum infantis non rite ſugentis, vel ob ejusdem mortem, vel ablactationem. Non igitur mirum erit, ſi lochia lactea frequentius obſervamus in feminis, quæ pulcritudinis conſervandæ ergo ubera denegant infantibus & voluptatem,

---

perarum, hoc malo peremtarum, coagulum lactis, inteſtinis in ſuperficie externa adhaerens, & ſerum in cavitate abdominis fluens, ſectiones monſtrarunt. Ibid.

(*q*) Plurimos auctores teſtes citat HALLER. *Elem. Phyſiol.* T. VII. Part. II. p. 23.

(*r*) IDEM l. c. p. 20. (*s*) IDEM l. c. p. 113. (*t*) GAUBIUS l. c. §. 309. & 401. LEVRET, *l'Art. des Accouch.* §. 826. & 864.

tem, quam natura cum titillatione ex ſuctione oriunda conjunxit (*x*), poſtponunt pulcritudini imaginariæ. Hæc quoque eſt ratio, cur feminis poſt febrim lacteam, ſi infantibus ubera non præbent potanda, fluxu lochiorum largiori corripiantur (*y*).

β. *a Reſiſtentia aucta in mammis*, quæ facit, ut chylus ibi ſecedere non poſſit. Huc conferunt refrigerium nimium mammis ex denudatione imprudente vel voluptuoſa admiſſum; adſtringentia vel repercutientia ad lac repellendum uberibus admota; animi pathemata, præſertim terror (*z*), quippe qui totam feminam concutit nervoſam, unde ſpasmus in habitu cutaneo & mammis ſubjectis, ut ex conſtrictione vaſorum lac repercutiatur.

γ. *Vi derivationis in hæc loca*, forte ob reſiſtentiam diminutam, ut in corporibus laxis, lautius viventibus & ex more feminarum Celticarum, injectionibus in genitalia, clyſteribus, ſemicupiis, balneis abutentibus, quibus facilius talia lochia fluere poſſunt. Poteſt etiam hæc ratione directionis abnormis motus ſpecies forte ex alia nondum ſatis nota cauſa originem ſuam repetere. Sic in morbo illo epidemico puerperarum, in noſocomio Pariſino *l' Hotel-Dieu* dicto, decumbentium, cujus ſupra mentionem fecimus, mammæ flacceſcebant, ſubſidebant, & lac ad interiora raptum, ad inteſtina depoſitum, inveniebatur (*a*).

DIAGNOSIS.

§. XIII. Lochia lactea faciliori negotio cognoſcuntur ex colore ſcilicet niveo & modica ſpiſſitudine liquoris ex genitalibus elabentis. Ex linteis puerperæ ſubſtratis etiam aliquid diſcere poſſumus; maculæ enim his a lochiis lacteis impreſſæ, eumdem colorem habent, ac notæ in illis ſpleniis conſpicuæ, quibus nutrices ubera tegunt. Præſentia mali generatim cognita, oportet medicum, ut ſpeciatim inquirat

(*x*) HALLER *Elem. Phyſiol.* T. VII. Part. II. p. 11. IDEM *Praelect.* l. c. p. 426.
(*y*) LEVRET. *L'art des accouch.* §. 819. (*z*) GAUBIUS l. c. §. 542. HALLER T. VII. Part. II. p. 21. (*a*) *Mem. de l'Acad. l'an* 1746.

rat ex quanam caufa hic error loci profluat. Optima indicia fumuntur ex caufis prægreffis & fymptomatibus concomitantibus. Vitam igitur ante actam, adplicata, gefta, ingefta, excreta atque retenta, paulo curatius fcrutari, operæ pretium erit, in his enim invenimus data ex quibus fymptoma præfens in fua caufa, & hinc in fua natura (*b*), cognofcimus.

PROGNOSIS.

§. XIV. Plerumque vero hæc lochiorum vitiatorum qualitas periculo graviori caret, & fæpe medicati quid habet, dum hac ratione & hac via a copia humorum, certo oneri futura, fi remaneret, fe liberat natura. Damno tamen non caret fuo, fi diutius ob laxitatem uteri nimiam duraret, metus enim effet, ne corpus jufto nutrimenti dimenfo defraudaretur, atque tota œconomia peffumdata langueret (*c*).

CURA.

§. XV. Neutiquam igitur medico in præfente fymptomate, protinus de cura cogitandum eft, fæpiffime enim conamen naturæ oftendit, quo conatur fuperpondium ejicere, ut contingere poteft poft mortem infantis, vel ejusdem ab uberibus depulfionem. In tali cafu præftabit totum negotium naturæ committere (*d*). Si vero polychymia in culpa foret, nam lac ex plethora generatur (*e*), optima remedia erunt diæta parcior, tenuior, copiofius nutrimentum non fuppeditans, potus aquofus, & fi res ægræ permittunt, lenis corporis exercitatio. Spasmus, lac a mammis ad interiora repercutiens, tollitur cataplasmatibus, fotibus emollientibus ex rad. althææ, flor. malvæ, chamomælæ, verbafci, fambuci, fem. lini, fœnu græci, mica panis, pulpa ficuum, vitello ovi, croco, cum lacte vel aqua coctis (*f*). Refiftentia minor in utero poftularet roborantia, leniter adftringentia topica, quæ tamen non nifi urgente neceffitate, & maxima cum cautione, adhi-

---

(*b*) Gaubius l. c. §. 55. (*c*) Idem. ibid. §. 564. (*d*) Sydenham. l. c. p. 145.
(*e*) Bikker l. c. p. 74. (*f*) Crantz l. c. T. II. q. feqq.

hibenda ſunt, incipiendo a roborantibus extus appoſitis, ut cataplasmatibus, paratis ex alchimilla, plantagine, hedera arborea, pentaphyllo, foliis querci, rubia tinctorum, floribus balauſtiorum, roſarum rubrarum, cortice tamariſci, capparidis, querci, granatorum, coctis cum vino rubro vel aceto, addito parum aluminis (*g*), & ſi hæc non prodeſſent, progrediendo ad injectiones.

LOCHIA ATRA.

CAUSÆ.

§. XVI. *Bruna, nigreſcentia lochia*, quæ plerumque ſimul cadaveroſum emittunt odorem, ſunt effectus ſpiſſitudinis atrabilariæ (*h*), moræ ſanguinis effuſi in utero (*i*), partis intus corrumpentis (*k*), inflammationis, gangrænæ uteri, vaginæ, veſicæ, præſertim inteſtini recti (*l*), & tandem etiam carcinoma. Dubitare quis poteſt an ulcus uterum depaſcens in puerperas caderet, quum tali malo præſente vix conceptio videretur poſſibilis, nec geſtatio legitimum terminum attingere poſſet. Sed experientia docuit ad oſtii uteri eam partem, quæ vaginam reſpicit, tempore graviditatis tale malum naſci poſſe, quod dein lochia peregrina materia inquinat (*m*).

DIAGNOSIS ET PROGNOSIS.

XVII. Præſentia hujus ſyptomatis ſenſibus patet, & cauſa, unde fluit, ratione cognoſcitur, ſi omnes cauſæ prægreſſæ & phænomena præſentia exactius ponderantur. Veteres fluxum menſium atrum jam inter peſſimos retulerunt (*n*), & idem præſagium de lochiis atris valet. Gravius enim fere ſemper ſubeſt malum, cui rarius medela perfecta poteſt adferri. Atra enim bilis, ſi omnem humorum vim

(*g*) Boerhaave *Materia Med.* ad Aphoriſ. XXVII. N. 4. (*h*) Duretus in Coacas. p. 369. Nigra & ſplendentia lochia ab atra bile habet, Prosper Martianus ad Hipp. *de morb. mul.* Venetiis 1652. p. 195. Gaubius l. c. §. 365. (*i*) Sylvius l. c. Lib. III. cap. VIII. §. 62. p. 557. (*k*) Pelargus *Obſ. Clinic.* annorum 1727. & 1728. p. 566. (*l*) Levret. *l'art des accouch.* §. 853. (*m*) Mauriceau T. II. Obſ. DLVII. (*n*) Aretaeus Cappadox Cap. XI. p. 63.

vim jam eousque inundaverit, ut etiam uterum lædat, vix ſanabilis exiſtit. Corpus peregrinum, in utero relictum, & jam ad tam inſignem gradum putredine vitiatum, tales plerumque impreſſiones in matricem facit, quibus nulla arte mederi valemus (*o*), & carcinoma in tam ſpongioſo corpore, quale genitalia conſtituunt, facillime ſerpendo, longe lateque graſſatur.

CURA.

§. XVIII. Cacochymia humorum atrabilaria, prout dependet ab atrabile rancida, putrida, vel acida, tollitur, diluentibus, obtundentibus, immutantibus, mali præſentis genio contrariis (*p*); corpora vero peregrina putreſcentia excutiuntur, eluuntur methodo ſupra (§. X.) expoſita. Maximam crucem figunt medicis lochia nigra, a carcinomate oriunda, rariſſime enim, & non niſi poſt patienter & diu continuatum remediorum efficaciſſimorum uſum, ſanatio hujus mali perfecta & radicalis obtinetur; immo ſunt, qui vires naturæ ex legibus phyſicis tantum dijudicantes, de cura plane deſperant (*q*). In ipſo puerperio, quamdiu lochia adhuc fluunt, curæ palliativæ ſoli locus eſt. Victus igitur ſit lenis, vegetabilis, blandiſſimus; religioſe abſtineatur ab omnibus ſalitis, aromatibus, acrioribus ſtimulantibus (*r*); in diæta lactea, quæ convenientiſſima habetur, cavendum, ne acor in primis viis generetur, cujus evolutio impeditur leni abſorbente, vel ſapone veneto, ſubinde datis (*s*); dolores nimii, excoriationes mitigentur, ſopiantur, mucilaginoſis, demulcentibus & anodinis (*t*), ſi conditiones poſtulant, intus ſumtis vel injectis. Ceſſante dein utcumque fluxu lochiali tentari poſſet cicutæ vis & virtus, quæ

—— —— —— *Laudatur ab his, culpatur ab illis* (*u*),

ex-

(*o*) Ephemerid. Nat. Curios. Dec. I. an. IV. Mauriceau. T. II. obſ. CLXII. (*p*) Boerhaave Aphoriſm. 1114. (*q*) Mauriceau Aphoriſm. CCLXXI. (*r*) Hippocrates *de morb. mulier.* Lib. II. Sect. XIV. p. 544. C. Piso de cognoſcendis & curandis morb. Lib. III. cap. LIX. Boerhaave Aphoriſ. 507. (*s*) Idem Aphoriſ. 1200. Idem Mat. Med. ad h. l. (*t*) Levret. ad Mauriceau Aphoriſ. CCXXII. (*u*) Horatius Lib. I. Satyr. II.

& de cujus vera efficacia post experimenta repetita, & cum circumspectione repetita, posteritas, sepositis omnibus præjudicatis opinionibus, melius forte judicare poterit. Incitat ad hujus usum saltem aliqualis ejus subinde successus, & præstat remedium experiri anceps, quam nullum. Plura quæ de lochiis atris dicenda forent supra (§. V. ad X.) jam exposita leguntur, dum de fœtidis disputavimus.

LOCHIA BILIOSA.

§. XIX. Proximum est de *biliosis* dicere. Vocamus vero lochia biliosa, si lintea supposita, colore flavo, croceo tingunt. Existentiam hujus vitii evictam dat ratio pathologica; observationum vis confirmat eandem. Bilis semel ex suis cancellis exorbitans, cum sanguine circumacta, ex errore fluentium facillime in errorem excretorum transit (*x*). Latex hepaticus enim, cum reliquis humoribus per totum corpus vagans, ubique fistulas secretorias subit, etiam angustiores. Docet hoc saliva flava biliosa, urina crocea, in morbo arcuato laborantibus (*y*). Multo vero facilius partes biliosæ per vasa disrupta, vel saltem dilatata, & majoribus ostiis in cavum uteri hiantia, stillabunt. Et si tandem observationum auctores consulimus (*z*), de hujus mali existentia, nullum dubium remanet.

CAUSÆ.

§. XX. Scaturigo vero hujus symptomatis varia est, oritur enim generatim a cacochymia biliosa, sive tali sanguinis mixtione, qua in suam

---

(*x*) Gaubius l.c. §.401. ad 403. (*y*) In femina icterica lac erat flavum, & sanguini ex vena educto copiosa innatabat bilis subviridis, flava C. Th. Bierlingii. advers. curiosor. cent. I. Jenae 1679. & alia tempore graviditatis ictero laborat, & placenta tota flava existit. Mauriceau *derniers obs.*VII. & iterum alia biliosa, tempore gestationis fluore correpta multam materiem flavam excrevit, quae sine dubio lochia reddidit flava. Idem T. II. obs. CCCLXXXXIV. (*z*) Aretaeus Cappadox Cap. XI. p. 63. Hipporrates de morb. mul. I. Cap. XIX. p. 428. cap. XXXII. p. 438. Prosper Martianus. l. c. p. 195. Morgagni l. c. XXXII. 2. XXXXVII. 16. Haller *Elem. Physiol.* T. VI. 589.

ſuam craſin plures moleculas bilioſas flavas recipit, ſive illæ motu retrogrado ex ſyſtemate hepatico regurgitent in ſyſtema circulatorium; ſive ob impedimentum quoddam ex maſſa ſanguinea ſecedere & in ſyſtema bilioſum deponi non poſſint. Speciales itaque cauſæ occurrere poſſunt ſequentes.

α. *Obſtructio hepatis* ſive ab imflammatione, ſive a ſcirrho, vel aliis tumoribus ita poſitis, ut liberum laticis hepatici a ſanguine ſeceſſum & motum intercipiant. Sed & θλίψις ab utero gravido ex pelvi adſcendente, viſcera ſurſum & contra hepar agente, vaſa ſyſtematis bilioſi varia ratione male habere poteſt. Spasmus, qui hepar vel inteſtina tenet, bilis circulum turbare, nemo negat; Hinc ſimul patet, hyſtericas facilius, & frequentius hoc malo corripi. Nec calculus biliarius ductui choledocho præſertim impactus, inferiorem locum inter cauſas morbi arcuati obtinet (*a*).

β. *Motus humorum rapidior, impetuoſior per totum corpus.* Natura non ſine ratione motum humorum per hepar, variis poſitis obicibus, tam placidum & lentum conſtituit, ut ſcilicet ſub hoc motu tardiori, partes lentæ bilioſæ ſeſe magis trahere, unire & ad latera in poros biliarios ex vaſis ultimis ſanguiferis ſecedere poſſent (*b*). Motu vero humorum in toto corpore adaucto, rapidiſſime etiam per hepar feruntur fluida, ſecedendique tempus non nactæ, particulæ bilioſæ oſtia ſecretoria præterlabuntur, & ſanguini admiſtæ fluunt. Probant dicta color habitus cutanei in febribus continuis eo magis flaveſcens, quo vehementior eſt ſanguinis ventilati impetus.

γ *Animi pathemata*, ut ira, mœror, deſiderium fruſtratum multum valent in permutando corpore, maxime vero in ſyſtema bilioſum ſuas turbas jaculantur, quo ſæpe fit, ut bilis inexplicabili ratione regurgitet (*c*).

DIA-

(*a*) Haller *Elem. Phyſiol.* T. VI. p. 589 ſeqq. (*b*) Idem T. VI. p. 598. 601. T. II. p. 449. 452. Gaubius l. c. §. 372. (*c*) Ejusd. Sermo Academicus, de regimine mentis quod medicorum eſt. Idem Patholog. §. 542. Juncker conſpect. Medic. Pract. Halae 1734. p. 729. Haller l. c. T. VI. p. 592. & 593.

DIAGNOSIS.

§. XXI. Lochia biliosa, quam diu rubra fluunt, subesse difficulter cognoscitur, illico vero patent, dum alba incipiunt emanare, lintea enim tinguntur subfulvis, croceis, sublividis maculis (*d*), & eodem tempore habitus cutaneus, præsertim albuginea oculi, flavescunt, urina colore croceo superbit. Sed scrutinium causæ, quæ copiam bilis in sanguine efficit, hoc opus, hic labor est. Inflammationem scimus præsentem ex signis hepatitidis, & obstructiones hepatis lentæ, scirrhi, lithiasis plerumque diu ante ex suis effectibus jam innotuerunt. Iræ vim expertam vel ægra ipsa, vel quæ ipsi auxilio sunt, exponunt.

PROGNOSIS.

§. XXII. Variant præsagia pro natura & gradu causæ, unde pendent. Metuendum omnino periculum feminæ intentant, si ex inflammatione, vel febre continua, vel obstructione pertinaciori alia orta, fluant lochia flava; minus vero timenda pericula ægram circumstant, quum ab animi perturbationibus nata, nullis aliis gravioribus turbis stipata sunt. Inevitabilia autem pericula surgunt, si diutius perseverant, metus enim est, ne ob acrimoniam suam, rodendo, excoriationes vel ulcera depascentia inducant, idem enim contingere potest, quod de mensibus biliosis observavit HIPPOCRATES (*e*) „ *temporis*, inquit, *progressu plerumque etiam morbus acutus fit, & uteri a purgatione biliosa prodeunte mordentur, ac exulcerantur.*

CURA.

§. XXIII. Medela hic quoque alia est radicalis; alia palliativa.

Radicalis obsolvitur medendo morbo in sua causa, cujus hæc lochia depravata sunt symptomata. Dari igitur varias immo non raro diversissimas

(*d*) HIPPOCRATES de morb. mulier I. Sect. XXXIV. & CXX. p. 511. (*e*) De morb. mul. Lib. I. Sect. XXXII. T. II. p. 438.

ſiſſimas medendi rationes certum eſt. Nolo hic repetere methodos ſanandi hepatitidem, obſtructionem hepatis, vel febrem continuam, quippe quæ ex therapia generali & ſpeciali notæ ſunt quam maxime. Turbas ex animi commotionibus in bilis circulo proprio ortas removemus, ſopiendo ratiocinio, quod tamen, quam parum in iratis, vel alio animi pathemate graviori percitis, vix ſibi conſciis, valeat, conſtat inter omnes; vel & excitatione adfectus contrarii, qua via interdum melius ſcopum præfixum attingimus (*f*). Opiata, quies, aër temperatus, diæta tenuis, utique effectus violentorum mentis motuum ſedant. Spasmum vero tollimus, auferendo ejus cauſam per paregorica; vel ſopiendo ejus vim, per opiata intus ſumta, vel cum clyſteribus emollientibus oleoſis injecta, nec non per cataplasmata, fotus emollientes, leniter diſcutientes.

Palliative autem hic ſuccurrimus primum infringendo acre bilioſum in maſſa ſanguinea hærens, diluentibus, obtundentibus, ut decoctis ſeminum cerealium, & fructuum horæorum; immutando, acidis vegetabilibus ſupra memoratis (§. X. α. N°. 1. 2.) & mineralibus v. g. acido vitriolico, quod tamen non niſi admodum dilutum propinari debet, ne adſtrictione ſua noceat, & ex errore fluentium errorem impactorum generet, deinde roſiones, vel dolores ab acri productos & excitatos mitigamus, iniectionibus emollientibus mucilaginoſis, ut decocto rad. althææ, ſem. lini, florum verbaſci cum lacte, addito melle aliisque pluribus remediis unicuique notis.

LOCHIA VIRIDIA.

CAUSÆ.

§. XXIV. Ultima ſpecies lochiorum ratione coloris depravatorum ſunt *Viridia*. Teterrima ſanies viridis lochiis mixta innoteſcit præſertim, quum alba prodire incipiunt, licet antea cum rubris jam emanaſſe non negamus. Varias agnoſcunt cauſas (*g*), quas apud ob-

(*f*) Boerhaave Aphoriſm. 103. & 104. etiam Van Swieten ad h. l. (*g*) Sed non ſemper licet nobis eſſe tam felicibus veras hujus phaenomeni cognoſcere cauſas; ſic enim ingentem vim aquae viridis, ſolutioni vitrioli non abſimilis, in utero invenit Bonetus l. c. T. III. p. 337. & ſuperficiem uteri etiam deterſam plorantem vidit materiem flavam ſubviridem Morgagnus l. c. Epiſt. XXXXVIII. 14.

observatores adnotatas invenimus. Ab hepate uterino, cujus portio quædam relicta, putredine resoluta & tabefacta erat, lochia viridescentia, male olentia, cadaverosa fluxerunt (*h*). Deinde pendere etiam observantur lochia viridia a membranis superstitibus in matrice post fœtum exclusum, vel & muco, quo secundinæ obducuntur, putredine vitiatis (*i*). Omnium tamen frequentissima stillicidiorum uteri viridium, ut & lochiorum hoc colore corruptorum causa virus venereum, quo puerpera infecta est, existit. Præprimis vero observamus, quod illis feminis, quæ tempore graviditatis fluore albo maligno laborarunt, & non in tempore manus medicas expertæ sunt (*k*) lochia elabantur ex flavo viridescentia, sive uti LEVRET dicit, colorem foliorum marcescentium referentia. Historia enim gonorrhœæ virulentæ docet etiam in feminis primum fluere saniem albescentem, quæ dein malo increscente mutatur in materiem viridem, vel ex flavo viridescentem, acrem, rodentem, graveolentem (*l*). Tandem etiam a dyscrasia humorum scorbutica, natales hujus mali nonnulli repetunt. (*m*).

DIAGNOSIS.

§. XXV. Præsentiam hujus vitii, quatenus in colore depravato consistit, docent sensus. Contagium vero venereum in causa esse monstrant symptomata, quæ satellitium gonorrhœæ malignæ constituunt, scilicet materia flauescens, viridescens, saniosa, excorians, inflammans, exulcerans omnes partes, non periodice, sed continuo eodem tenore fluens; squalidus faciei adspectus, cum livido oculorum circuitu; lassitudo; dolor insignis ad lumbos & genitalia; pustulæ malignæ & ulcuscula ad labia & in vagina (*n*); glandulæ muciparæ vaginam obsidentes induratæ, & granula quasi eo majora ad tactum

---

(*h*) BONETUS l. c. T. III. p. 333. (*i*) SMELLIE l. c. T. I. §. 471. (*k*) Utrum feminae lue maculatae concipere possint, ego dirimere non ausim. Ad scopum meum sufficit, puerperam posse intus alere virus hoc, etiamsi illud demum tempore gestationis contraxerit, cujus rei exempla lego apud MAURICEAU T. II. obs. CXXIII. CXXXVIII. DLVII. (*l*) ASTRUC *de morbis venereis*, Lutet Paris. 1740. T. I. p. 246. (*m*) LEVRET *l'art des accouch.* §. 855. (*n*) MAURICEAU T. II. obs. LXXI.

tactum referentes, quo magis malum adolevit. Hoc ultimo phænomeno, induratione scilicet glandularum in superficie interna vaginæ, tanquam signo pathognomonico multos in Galliis celebres chirurgos obstetricantes uti, fando accepi. Ex cacochymia scorbutica natum hoc symptoma produnt signa supra (§. VIII.) memorata. Lochia viridia ex causa venerea, vel scorbutica, orta, LEVRET (o) distinguere docet odore, dum priora odorem fatuum, nauseabundum; posteriora vero putorem carnis corruptæ emittere, adfirmat.

PROGNOSIS.

§. XXVI. Ratione eventus notandum est, labem Celticam modo se nondum in ossa altius defixerit, nec dolores osteocopos pertinaciores, nec ulcera graviora pessimæ indolis, produxerit, antidoto suo plerumque cedere; si vero fluida penitus inundaverit, & solida profundius diruerit, & diu neglecta sævierit, periculo non carere. Ratione reliquarum causarum valent prædictiones, quas prius (§. IX. & XVII.) passim dedimus.

CURA.

§. XXVII. Quamdiu in puerperio adhuc cubat femina, contenti simus necesse est cura symptomatica, scilicet obviam eundo ulteriori progressui temperantibus, diluentibus, obtundentibus, largiori copia haustis, qualia sunt decoctum hordei, bardanæ, ligni guajaci, sarsaparillæ &c. Excoriationibus & cancris venereis in labiis, vagina & ad orificium uteri, a materia acri rodente excitatis, medemur decoctis demulcentibus injectis, quibus pro re nata etiam mercurialia admisceri possunt, v. g. unguentum mercuriale cum oleo ovorum, & vitello ovi recentis subactum, atque cum lacte dulci, vel decocto seminis lini dilutum. Quantitas unguenti Neapolitani ratione proportionis ad reliqua ingredientia determinatur ex magnitudine & vehementia

(o) l. c. §. 855.

mentia mali. Sic res ægræ protrahuntur, donec lecto puerperali valedicens, ad feveriorem curam fubeundam apta fe parat. Poteſt hæc pro conditionibus ægræ inſtitui excitato ptyalismo per frictiones mercuriales, aut mercurium dulcem per os adſumptum; vel ſi ſalivationis contraindicantia adſint, præſtabit mercurium dulcem tamdiu exhibere, donec gingivæ intumeſcant, & dein purgante dato, impetum humorum, ad glandulas ſalivales factum, ad inteſtina revellere, & per anum evacuare, quod per os educere nefas. Noſtris demum temporibus certo conſtitit, poſſe etiam virus venereum in corpore jam domari absque ſalivatione, quæ ex mente recentiorum accidentaliter tantum ſupervenit (*p*), & mercurium vi pollere inſita, virus venereo oppoſita, qua hoc in corpore jam ſubigit, cicurat. Huic fini egregie ſatisfacere mercurium ſublimatum cum ſpiritu ardente datum (*q*) medicorum repetita experimenta, quidquid etiam garriat alte ſapiens Swieteni commentator, in notis ad librum de morbis caſtrenſibus, probant. Diatheſis ſcorbutica; partes in utero relictæ, ſi lochia viridia ſiſtunt, corriguntur, tolluntur modis ſanandi jam (§. X.) expoſitis.

LOCHIA TENUIA.

§. XXVIII. Sequuntur vitia conſiſtentiæ, primum conſideremus *tenuia*. Per Lochia tenuia talia intelligo, quæ juſta quidem copia elabuntur, ſed naturalem debitumque ſpiſſitudinis & cohærentiæ gradum non habent. Notum enim eſt (*r*) lochia rubra in fœminis ſaniſſimis, ſimulac de cunno prodeunt, vel ſi retardantur in vagina, aut in ipſa matricis cavea diutius reſtagnant, protinus abire in coagula.

(*p*) Cranz Mat. Med. T. II. p. 129. (*q*) Sunt, qui in gratiam feminarum delicatarum mercur. ſublimatum in aquis deſtillatis ſolvere ſuadent. Spielmann. Diſſ. de Hydragyri effectibus, Argentorati 1761.; cujus conſilii tamen triſtiſſimos effectus nobis in praelectionibus narravit Ill. Praeceptor Gaubius. Et ratio in promptu eſt. Partes oleoſae, quae ſpiritui frumenti inſunt, circa partes acres ſe circumponunt, eas involvunt, & ſic remedium melius cicurant, & pro uſu interno tutius reddunt. (*r*) Hippocrates de Natura pueri. Sect. XII. T. I. p. 142. & de morbis mulier. Lib. I. Sect. LXXXXVIII. T. II. p. 485.

la. Non raro vero contingit, ut lochia rubra fluida ex locis obſcœnis prodeant, quod omnino ferri poteſt, ſed foris dein excepta, non coguntur in thrombos. Similiter alba habent primum quidem conſiſtentiam loturæ carnis, quæ mox ſpeciem gelatinæ, & tandem puris non nimis ſpiſſi adſumit. Quod ſi vero fluxiora pergunt manare per 6, 8, 10, 12. dies & ſpiſſitudinem non induunt, tunc certi ſumus ſtatum eſſe præter naturam.

DIVISIO.

§. XXIX. Ex obſervatis conſtitit lochia tenuia iterum duplicis eſſe generis. Fluiditas enim nimia aut ſimul junctam habet acrimoniam præſertim putridam ſive ſcorbuticam; aut ſine acrimonia eſt, & blanditiem retinet humorum naturalem, vocamus illam cum Ill. Præceptore (s) *tenuitatem aquoſam;* hanc vero *tenuitatem ſalinam.* Cauſarum ſcrutinium, & medendi ratio, hanc diviſionem non imaginario, ſed vero, & in ipſa rerum natura fundato, diſcrimine niti, docebunt.

CAUSÆ.

§. XXX. Generatim vero hoc ſymptoma naſcitur ex copia partis diluentis ad craſſamentum abundantiore, cujus ratio iterum hæret vel in copia majori ſeu abundantia vera interfluentis humidi ad craſſamentum; vel in reſolutione, attenuatione craſſamenti nimia, manente eadem quantitate ſeri diluentis.

Prior ſpecies pro potentia nocente agnoſcit, potum aquoſum copioſum præ primis calidum, ex more noſtrarum feminarum ter, quater, quinquies de die adſumtum, aerem humidum, calidum, vitæ genus ſellularium; pro ſeminio autem torporem univerſæ compagis ſolidæ, & præſertim ſyſtematis circulatorii (t). Si enim circulationis vires ſat vegetæ forent, certiſſime ab uberiori aquæ ſuperpondio, per ſecre-

(s) Gaubio l. c. §. 287. & 288. (t) Idem. ibid.

cretiones & excretiones brevi tempore se expediret natura. Fatendum interim est hoc vitium ex hac causa sola rarius occurrere, quia solida laxata non simplex tenuitas, sed, ob defectum decentis elaborationis & subactionis, viscidum insequitur.

Altera vero species debetur principiorum crassamenti in moleculas justo minores ab acri præsente divisioni, qua fit, ut oleum & terra arctius, minutius, uniantur aqueo vehiculo. Dum enim oleosæ, terreæ vel concrescibiles partes attenuantur a salinis, cum his quoque coëunt, & cohærent ex una parte; ex altera vero salinæ nubunt aqueis, & sic connubium stabile inter aquæ inimicas oleosas & terreas nascitur, & crassamenti natura ob interpositum aqueum perit. Destructa dein humorum mucositate sive cohærentia naturali, minuitur quoque adhæsio ad parietes canalium continentium, quæ in vasis minoribus circuitui & motui admodum reluctatur (*u*), hinc ubicumque ad ostia excretoria perveniunt ob tenacitatem deperditam abundantius elabuntur (*v*). Hæc vero tenuitatis species, originem suam ducit ab acrimonia, & in hac totus rei cardo vertitur. Varias dari acrimonias pathologi nos docent (*x*), non tamen omnes producendæ fluiditati nimiæ aptas esse, natura cuilibet propria evincit. Faciunt huc acrimonia alcalescens (*y*) ab abusu vegetabilium alcalescentium, sive antiscorbuticorum, vel etiam remediorum alcalicorum volatilium, aromatum igneorum indicorum, quæ vi sua stimulante vires circulationis intendunt, humores dissolvunt, attenuant, immo vi sua ignea acre, in blandissimis humoribus latens, extricant, evolvunt. Deinde, acrimonia putrida exorta vel ab ingestis, ut carnibus jam levem putredinem passis; vel motu corporis majori, potissimum sub æstu solis ferventiori; vel febri, acri, veneno, miasmate, contagio, potu, inducta, sanguinis crasin potenter dissolvit. Frequentissime vero tenuitas nimia proficiscitur a putrido inquilino, in corpore elaborato, post inflammationes & suppurationes internas, dum pus exitum nec ab arte, nec a natura inveniens, stagnat, motu intestino cor-

(*u*) Haller T. II. p. 190. (*v*) Gaubius l. c. §. 288. (*x*) Idem §. 307. ad 318. (*y*) Idem §. 310.

corruptum, acres, putridas moleculas extricat, vicinas exedit, in similem putrilaginem convertit, ad maſſam ſanguineam dein reſumtum effectus ſuos longe lateque ſpargit, ut fermentum ſepticum ſimilem labem univerſo humorum moli adfricat, eam diſſolvit, ut vix amplius in corpore, ubique rimoſo & patente, coërceri poſſint; idem a fomite cancroſo oriri poſſe, experientia loquitur clinica. Et acrimoniam muriaticam huc facere, demonſtrant experimenta Cel. PRINGLE, & confirmant hæmorrhagiæ oriundæ ex tenuitate humorum nimia & putredine (z) a ſcorbuto inter nautas graſſante, qui eo magis increſcit, quo diutius victu ſalito utuntur.

DIAGNOSIS.

§. XXXI. Præſentiam lochiorum tenuium docet abſentia naturæ concreſcibilis in ſanguine exeunte, & mucoſitatis naturalis in lochiis albis. Speciem vero tenuitatis oſtendunt potentiæ nocentes admiſſæ, & effectus morboſi inſequentes. Vappida aquula ex his locis interdum uberius ſtillans prodit tenuitatem aquoſam. Salinam vero monſtrant dolor, ardor, excoriationes partium, quas adluunt, & reliqua acritatum ſigna ſatis nota (a).

PROGNOSIS.

§. XXXII. Prior ſpecies rarius occurrens non equidem funeſtum exitum portendit, & facilius remediorum vim admittit; poſterior autem ſæpe plus periculi & moleſtiæ & ægræ & medico minatur, nam tantum non ſemper eſt effectus morbi, qui jam altas in œconomia egit radices, & vix ſanabilis arte exiſtit. Priſtinam enim puritatem vindicare humoribus ratione craſeos corruptiſſimis, non eſt res parvi negotii. Diſcrepat vero prædictio pro diverſitate cauſæ unde proficiſcitur tenuitas. A fuſione humorum ex phthiſi, vel alio quocumque fomite purulento, cancroſo, gangrænoſo inſanabile malum; a diatheſi autem ſcorbutica natum, forte medelam admittit, ſi efficaciſſimis remediis, in tempore obſtamus.

CURA.

(z) GAUBIUS l. c. §. 315. (a) IDEM l. c. §. 306.

CURA.

§. XXXIII. Medemur vero.

α. *Tenuitati aquosæ* incraſſantibus, gelatinoſis ex animalibus, gelatina Corn. cervi, eboris; mucilaginoſis ex althæa, dactylis, ficubus, fructibus horæis, ſeminibus cerealibus, glyzyrrhiza, G. arabico, tragacanthæ; oleoſis, ut butyro recenti, cacao, ſpermate ceti; coagulantibus & adſtringentibus ut ferro, terris pinguibus, lapide hæmatite, acido vitriolico, alumine, paratis (*b*). Diæta maxime congruens eſt ſicca incraſſans, panis bis coctus, caro aſſata, potus meracus vinoſus, vel cereviſia bene fermentata.

β. *Tenuitati ſalinæ.*

a. *Generatim*, diluentibus aquoſis, obtundentibus, decoctis fructuum horæorum, ſeminum cerealium, aliisque jam memoratis.

b. *Speciatim*, vero corrigendo putredinem fundentem acidis vegetabilibus, mineralibus, antiſepticis ſpecificis, camphora, myrrha, cortice peruviano, ſalibus volatilibus alcalicis. Si pthiſis in cauſa vel febris putrida, obviam imus ſecundum leges praxeos aliunde notas. Acrimonia tandem muriatica, diluentia aquoſa, mucilaginoſa, oleoſa exigit. Sunt etiam, qui huic fini adaptatum laudant remedium aquam calcis vivæ, quippe quæ & antiſeptica eſt, & acrimoniam muriaticam deſtruere creditur (†).

LOCHIA SEROSA.

§. XXXIV. Subinde obſervatores etiam mentionem faciunt *lochiorum ſeroſorum* (*lochies ou vuidanges glaireuſes*) ſub quibus intelligunt illud vitium, quo ex genitalibus deperditur liquor, copia paucus, inter pituitam ſpiſſam & aquam medius, colorem & habitum ad tactum albuminis ovi diluti æmulans. Corripit hoc effluvium illas maxime feminas, quæ hyſteritide laborant (*c*); vaſa enim, ſive ob com-

(*b*) SYDENHAM Opera p. 426. (†) BOERHAAVE Aphoriſ. 605. & VAN SWIETEN ad h. l. (*c*) LEVRET. l. c. §. 851. & Adnot. ad MAURICEAU Aphoriſ. CCLXV. IDEM T. II. obſ. CCLXXXVII. CCCL. DLI

compressionem ab humoribus ex oscillatione majori copiosius aggestis, sive ob contractionem orificiorum emittentium, minus patent, & loco sanguinis rubicundi, serosam partem tantum plorant, quæ, diffluitis aquosis, cogitur in laticem lentescentem. Vix medicam opem hic ferre licet, nisi inflammatio matricis tolli possit. Limites dissertationis non permittunt verbosius in hanc curam excurrere, cui negotio tanto facilius supersedeo, quum hoc thema nuper pro dignitate disputatum lego (*d*).

LOCHIA PITUITOSA.

§. XXXV. Lochia *pituitosa* sive *mucosa* sunt omnino ex illis, quæ non raro in praxi occurrunt. Fluit in his sanguis non sincerus, sed multa inerti pituita mistus; immo lochia alba, quæ deberent sensim sensimque spissescere & puris spissioris consistentiam induere, adsumunt qualitatem lentam, gummosam, colorem pituitæ vitreæ referunt, & ultra terminum suetum fluunt.

CAUSÆ.

§. XXXVI. Plerumque vero hæc lochia experiuntur feminæ, quæ alias fluori albo subjectæ erant, sive benigno (*e*), sive etiam maligno (*f*), modo hic nondum crescendo vires adultiores adquisivit, sed adhuc in primo subsistit stadio. Ponit igitur hoc symptoma abundantiam muci uberiorem in tota humorum mole, atque dein debilitatem solidorum majorem, maxime in locis obscœnis.

PO-

(*d*) Confer. A. LUDGERS Differt. Inaug. de Hysteritide, L. B. 1766. (*e*) Leucorrhœam benignam conceptioni non obesse, experientia constitit LEVRET ad MAURICEAU Aphoris. LXII. Rationem hujus phænomeni in eo ponunt, quod in hoc malo non uterus ipse, sed tantum ejus cervix laboret, quippe cujus venae mucum plorent, vel jugiter, vel per intervalla. PROSPER MARTIANUS ad HIPP. Epidem. Lib. III. p. 258. PLATERUS Praxis T. III. p. 600. Cervicem uteri ejusque vaginam tantum materia cinerea crassa plenum invenit MORGAGNI de Sede & causa morb Epist. LXVII. 14. (*f*) Exempla fluoris virulenti tempore gestationis communicati habet MAURICEAU T. II. obs. CXXIII. & CLXXVIII.

POTENTIÆ NOCENTES.

§. XXXVII. Obnoxiæ igitur his inveniuntur feminæ

α. *Farinosis crudis non fermentatis utentes*, hæc enim glutinosam suam naturam, qua amant in fila trahi tenacissime retinent, & subactione eam vix deponunt, nisi corpus in quod ingeruntur, sit satis vegetum, & multa exercitatione firmatum.

β. *Potulentis aquosis calidis se ingurgitantes*, unde etiam robur primarum viarum destruitur, liquorum digerentium activitas infringitur, totumque digestionis negotium turbatur.

γ. *In aëre humido viventes*, nam hic universum solidarum contextum emollit, unde tardior atque difficilior adsumtorum coctio; transpirationem supprimit, colluviem aquosam, cui facile ex adsumtis mucus se jungit, generat.

δ. *Vitæ genere sedentario deditæ*, sub hoc solida laxantur, circuitus torpescit, unde iterum glutinosi spontanei ex esculentis largior generatio, tardior excretio, celerior adcumulatio.

SEMINIA.

§. XXXVIII. Sed præterea requiruntur causæ determinantes, quæ humores mucosos magis ad genitalia derivant, alliciunt. Omnis motus fluidorum progressivus dependet ab actione solidorum (*), hinc etiam motus in directione abnormis esse nequit, nisi ex vitio solidorum. Constat dein ex physicis & per experientiam confirmatur, humores pressos, quales sunt nostri corporis humores, tendere quaquaversus æqualiter, moveri tamen majori copia & impetu illuc, ubi minor est resistentia. Et hæc lex physica etiam in corpore animato vera est. Hinc quamvis omnis humorum vis muco inundata sit, debet tamen vis derivationis accedere, alias partibus genitalibus non plus incommodabit. Potest huc aliquid facere, situs harum partium de-

(*) Gaubius l. c. §. 409. & 411.

declivior, copia glandularum mucum parantium major, mador continuus, quo perpetuo macerantur, vel & lex naturæ, qua hæ partes ultimis geſtationis diebus largius perfunduntur, & a quo impetu ad has partes auctiori dein natura præſertim debilior difficilius deſueſcit; maxime vero contextus harum partium laxior, licet ad ſua munia ſubeunda adaptatior, qui facit ut minus reſiſtant fluidis propulſis, quæ ergo copioſius huc ruunt, tunicas, fibras, cellulas inebriant, perfundunt, glandulas diſtendunt, laxant, quæ hinc mucum copioſiſſimum plorant. Hoc incommodum igitur frequentius experiuntur illæ feminæ, quæ magis albæ volunt,

—— —— —— —— *quam det natura, videri* (*g*)

molliori, delicatiori cuti ſtudent, balneis utuntur ſine neceſſitate, clyſteres mane & veſperi ex materna conſuetudine ano injiciunt, & injectionibus jugis partes genitales colluunt. Aliæ calefactoriis ſuppedaneis perpetuo inſidentes, partibus inferioribus gratum fotum adplicant, ſed & hujus voluptatis inimicæ graves pœnas luunt.

DIAGNOSIS.

§. XXXIX. Circa diagnoſin plane non eſt cur moremur, patent enim omnia ex ægræ relatione, immo ſenſibus cognoſcuntur. Attenti tamen eſſe debemus, ſi cognoſcendi animus eſt, utrum cum muco uberius adfluente miasma venereum conjunctum ſit; nec ne. In leucorrhœa virulenta, ulcera genitalia fere ſemper obſident (*h*). Deinde in fluxu venereo copia muci minor eſt, quam in benigno, ſed tanto acrior cum intenſiore ardore & dolore urina fertur (*i*). Reliqua ſigna jam (§. XXV.) expoſuimus, ceterum in utroque caſu,

In vultu color eſt ſine ſanguine, lumina mœſtis
Stant immota genis; nihil eſt imagine vivi (*k*).

PRO-

(*g*) HORATIUS Lib. I. Satyr. II. (*h*) VERCELLONIUS de pudendorum morbis, L. B. 1722. p. 32. (*i*) HOFFMANN T. III. p. 350. (*k*) OVIDIUS Metamorphoſ. Lib. VI. in Niobe.

PROGNOSIS.

§. XL. Nec difficultate premitur prognofis, fi malum recens eft facile curatur, nifi a caufa interna graviori nafcatur. „ *Nihilo mi-„ nus tarditate fua (fluor fcilicet), fexui delicatiori & munditiei dedito, „ valde eft incommodus & tædiofus, eo quod colorem faciei cum tempore „ inde amittunt, nonnullæ valde inde triftantur & melancholicæ fiunt, „ quia maritis exofæ evadunt* (*l*). Nifi igitur principiis obftamus, graviora hic fluor minatur mala. Pedetentim increfcens, tandem omnes humores in fimilem mucum convertuntur, huc rapiuntur, evacuantur, oëconomia labafcit & phthifis, quam uterinam catarrhofam diceres (*m*), fcenam claudit.

CURA.

§. XLI. Progredimur ad curam, quæ tutius puerperio finito inftituitur & duobus abfolvitur indicationibus generalioribus, fcilicet pituitæ præfentis copia tollenda, novi muci genefis prævertenda eft.

I. Removemus lentoris fuperpondium

α. Incidendo, refolvendo. Præftant hoc fales alcalici & fixi, ut fal tartari, liquor nitri fixi, foda; & volatiles ut fpiritus falis ammoniaci, corn. cervi, eboris; dein fales medii præfertim fal ammoniac., liquor terræ foliatæ tartari; porro amara, card. bened. centaurium minus, millefolium, abfinthium, fumaria; porro aromata indica (*) & indigena caryophylli, cinam. cortex winteranus, macis, nux mofchata, piper, rad. calam aromat. imperatoriæ, pimpinellæ, gentianæ rubræ, helenii; porro gummata ferulacea, G. ammoniacum, galbanum, fagapenum, oppopanax, myrrha; tandem fapones tam vulgares, ut Venetus, Hifpanicus, quam chemici, ex oleis aromaticis deftillatis, cum alcali cauftico paratis (*n*), vel etiam tincturæ alcalicæ,

(*l*) Hofemann l. c. T. III. p. 357. (*m*) Hall Dif. de Phthifi L. B. 1765. p. 3. 15.
(*) Sylvius l. c. p. 557. (*n*) Spielmann Inftitut. Chem. Argentorati 1763. p. 61.

licæ, ut ſalis tartari, antimonii acris, ſapo chemicus Dippelii, cum balſamis nativis, vel oleis æthereis combinatæ.

β. *Diluendo.* Magnæ omnino molis eſt, efficere ut partes fluidæ ſe exacte interponant inter moleculas humorum viſcidorum, obſtat enim major niſus, quo ſe trahunt. Acuenda itaque ſunt diluentia reſolventibus, quippe quæ illorum penetrationem, viam pandendo, juvant. Aqua igitur, licet ſit optimum & unicum elementum diluens, tamen ſola hic non multum præſtabit. Nam etiamſi muco ſe inſinuaret, faciliime tamen inviſcatur, & dein ſolida laxando fomitem auget, niſi cohæſio per reſolventia ſimul minuatur. Melius reſpondent intentioni medici potus fermentati, cereviſia probe lupulata, etiam infuſa ligni ſaſſafras, millefolii, meliſſæ concedi poſſunt, ſi hauſtus vini ad vires reſtaurandas ſubinde interponitur.

γ. *Coquendo.* Mucus naſcitur in ſubjectis torpidis ex alimentis ſaniſſimis & nihil aliud eſt, quam nutrimentum ex adſumtis quidem extractum, in corpus raptum, ſed non ſatis elaboratum, neque excoctum. Si igitur vires ſyſtematis circulatorii intenduntur, ſolida roborantur, viſcidum domatur & illud cedit corpori in alimentum, quod gravabat, & majori oneri erat futurum. Hinc veteres lentori non opponebant evacuantia, verum digerentia, coquentia (*o*). Perficitur vero hæc coctio, reſtaurando vires potu ſpirituoſo, vinoſo meraco, aqueo interpoſito, roborantibus adſtringentibus, maxime vero marte cum aromaticis. Poſſumus in robuſtis limaturam martis (*p*), in delicatioribus vero feminis, tincturam martis vel ſyrupum chalybis SYDENHAMI (*q*); vel & vinum chalibeatum propinare. Cortex Peruvianus, amara, aromatica, egregios hic quoque præſtant uſus. Omnia enim cordi & arteriis torporem diſcutiendo, motum humorum reddunt vividiorem, calorem augent, moleculas glutinis ſpontanei diſcutiunt, dimovent, elementum diluens interponunt, cohærentiam nimiam minuunt, cruda ſubigunt. Citius certiusque

---

(*o*) BALLONIUS de Virginum & mulierum morbis liber. Pariſiis 1643. p. 77. ſeqq.
(*p*) IDEM l. c. p. 139 140. C. LANGE Miſcellanea curioſ. Med. Francof. 1688. p. 245. (*q*) Opera omnia. p. 401.

tiusque vero medicus ſcopum præfixum feriet, ſi ſub uſu horum remediorum exercitatio corporis ſufficiens accedit (*r*).

δ. *Evacuando.* Non raro contingit, ut tanta quantitate muci obruti ſint humores, ut ſubigi & coqui vix poſſit omnis; vel primæ viæ tanta vi lentoris perfuſæ atque obſeſſæ ſunt, ut vix remedia ad ſecundas penetrare poſſint, ſed in ventriculo, inteſtinis, ſuffocantur & inviſcantur. In tali caſu præſtat omnino ab his ſordibus peregrinis digeſtionis officinam liberare, & muci vim expellere. Purgatis enim his organis, chylus elaboratur minus mucoſus, & orificia vaſorum abſorbentium reſerata, officio ſuo melius funguntur. Præſtat autem antequam evancuantia exhibentur, materiam reddere mobilem (*s*), & hoc tanto magis, quum lentor paritietibus magis villoſis adhæret, id quod fit exhibendo per unam vel alteram diem digeſtiva reſolventia, præſertim ſales alcalicos, vel etiam oxymel ſcilliticum. Præparata materia fit evacuatio, ſed qua via? ſunt qui laudant vomitum (*u*), dum alii purgantia commendant (*x*). Priori fini ſatisfaciunt rad. ipecacuannæ, tartarus emeticus, vel etiam oxymellis ſcillitici largior uſus; poſteriori autem Rhabarbarum, quippe quod ob poteſtatem, qua gaudet, roborandi adæquatum ſiſtit remedium. Si rhei barbari vis purgans non ſufficeret, ſtimuli loco aliquod grana reſinæ jalappæ vel ſcammonii addi poſſunt.

II. Ca-

(*r*) Hippocrates de morb. mulier. Lib. II. Sect. XI. T. II. p. 539. (*s*) *Concocta purgantibus adgredi oportet, & movere, non cruda; & corpora quaecumque quis purgare voluerit, fluida facere oportet*, ſunt verba Hippocratis Aphoriſ. I. 22. II. 9. (*u*) Ballonius de morb. virg. p. 124. Hippocrates de morb. mulier. Lib. II. Sect. XI. T. II. p. 539. (*x*) Sylvius l. c. p. 557. Hipporates l. c. ibid Paulus Aegineta l. c. cap. LXIII. p. 177. Hic objici nequit, quod puerperis purgantia exhibere nefas ſit, Waldschmid Opera Francof. 1695. Sect. III. p. 366. ne lochiorum fluxus turbetur, nam tota haec cura radicalis poſt puerperium demum locum habet, & dein omnino licet dare purgantia, ſi vitium haeret in qualitate P. Zachariae Quaeſtiones medico-legales. Amſt. 1651. Lib. II. p. 390. Bonetus l. c. T. III. p. 334. praeſertim quum natura non raro loco lochiorum, alvum moveat. De Haen Theſes de Haemorrhoidibus cap. V. p. 76. Van Swieten T. IV. p. 628. Hoffmann T. IV. Sect. II. cap. 10. J. D. Gohl. Compend. Prax. Clinic. Norimb. 1733. Lib. II. Cap. VI. VII.

II. Cavendum religiose ne mucus de novo generetur. Consequimur hunc scopum roborantibus & omnibus remediis, quæ primarum viarum robur restaurant, qualia sunt cortex peruvianus, extracta amara cum lenioribus aromaticis, additisque salibus alcalicis fixis (y); motu corporis, aëre puro, sicco, liberiori, cibo sicco, carnibus assatis, pane biscocto, potu meraco, aliisque in vulgus notis.

Tandem partes genitales, maceratæ a nimia muci emollientis vi, roborantur per remedia ante exposita, quæ totum corpus firmant. Hippocrates laudat suffitus, injectiones roborantes in loca muliebria (z).

Quodsi vero lochiis mucosis virulenti quid subsit, medela locum habet, quam (§. XXVII.) tradidimus.

LOCHIA PURULENTA.

§. XLII. Purulenta lochia frequentius exercent puerperas, potissimum vero illo tempore se manifestant clarius, dum alba fluunt. Ponunt vero semper malum topicum in his partibus; rarissime enim si umquam pus verum genuinum in massa sanguinea ipsa circumeunte elaboratur, sed est productum inflammationis Quum enim humores in his partibus congesti, infarciunt vasa, & impetus a tergo urget, calor maxime insurgit, vasa paullatim crepant fluida in cellulosam circumjectam effundunt, & dein vi vitæ continentia lacerata & contenta effusa, mutantur in materiam albam, insipidam, inodoram, spissam, lævem, æqualem, quam pus vocant.

CAUSAE.

§. XLIII. Habent itaque pro causa antecedente,

α *Læsionem matricis*, sive hæc ab instrumentis, vel a manu medica audacius, imprudentius adplicatis, quibus lacerando, distendendo, contundendo parietibus, violentior infertur vis; sive ab ipso fœtu, præ-

(y) Boerhaave Aphoris. 1275.

(z) De morb. mulier. Lib. II. Sect. XI. T. II. p. 540.

præſertim in δυςοκία a capite oblique ſito, in marginem pelvis irruente, uterum ſæpe ad oſſa quaſſante, inferatur, locus enim male habitus, vel etiam vulnerum labia inflammantur (*a*), ante conſolidationem pus fundunt, quod latici lochiali permiſtum effluit.

β. *Ruptio*, *contuſio*, *excoriatio vaginæ* (*b*) a capite nimis vaſto in pelvi diu impactum hærente antequam exſolvitur, aut ab alia quacumque cauſa.

γ. *Inflammatio uteri* (*c*). Rarius vera uteri inflammatio a quacumque cauſa inducta terminatur, diſcuſſione vel reſolutione, niſi illico ab initio remediis efficaciſſimis obviam ivimus. Raro ſera hic medicina paratur (*d*). Ob laxitatem enim ſubſtantiæ & vaſorum poſt partum majorem, facillime in ſuppurationem tranſit. Forte & eryſipelas uteri, ſuperficiem internam matricis obſidens, quatenus ſuppuratione finitur, etiam aliquid conferre poteſt, præprimis ſi illud pro leviori hyſteritidis gradu habeas (*e*).

δ. *Corpus peregrinum relictum quodcumque*, ſive ſit pars placentæ, vel placenta integra, quod poſt abortum (*f*) frequenter & facile evenit, vel etiam ſanguis ipſe in uteri cavo poſt excluſionem retentus, dum efficaciſſima corruptionis experiuntur inſtrumenta, diffluunt, licet ob multas in his locis confluentes ſordes, non ſemper in pus optimæ notæ (*g*) tabeſcant. Nec ſilentio præterire licet, quod propter levem ſuppurationem, quæ poſt quemlibet fere partum con-

---

(*a*) Paulus Aegineta Lib. III. cap. 66. p. 179. F. Plateri Praxis T. II. Cap. XIV. p. 533. Hippocrates de morb. mulier. Lib. I. Sect. LXXXXII. T. II. p. 479. Lib. II. Sect. XIII. T. II. p. 543. (*b*) Smellie l. c. T. I. §. 473. (*c*) Riverius l. c. p. 459, 460 Van Swieten T. IV. p. 606. (*d*) A. Ludgers. l. c. Hippocrates de morb. mulier. Lib. I. Sect. LXXXXII. (*e*) Valesius ad Epid. Hippocrat. Lib. I. Sect III. aegra 4. (*f*) Hippocrates de morb. mulier. Lib. I. Sect. LXXXXI. T. I. p. 447. (*g*) *Aliquando ubi ſanguis in uteris moram traxit, putrefactus pus fit, & quibusdam pus per pudendum exit.* Hippocrates T. I. p. 138. Mauriceau T. II. obſ. CCXXXXII. CCLXXXXVII. CCCLXII. CCCCLXII. CCCCLXXIV. DLI. & Ejusdem *derniers obſ.* XX. Pelargus l. c. anni 1722. p. 117. & anni 1726. p. 603. ſeqq. Piso de cognoſcendis & curandis morbis Lugd. Batav. 1716. Lib. III. cap. 58.

contingit, & qua ſuperficies matricis a quisquiliis repurgatur, tantum non ſemper lochia purulenti quid monſtrent (*h*).

DIAGNOSIS.

§. XLIV. Cognoſcuntur lochia purulenta facile ex materiæ emanantis indole, eſt enim ſine ſapore, ſine odore, lævis, æqualis maculas relinquit in ſpleniis flavescentes. Dignoſcuntur vero a lacteis ac mucoſis & colore, qui in lacteis ad candidum niveum magis accedit, in mucoſis leniſſime virideſcens, qualis in pituita vitrea obſervatur, in purulentis vero flaveſcens eſt; & conſiſtentia, nam lactea ſunt minus ſpiſſa, purulenta ſpiſſitudinem majorem monſtrant, atque pituitoſa gummoſam in fila ductilem naturam ſiſtunt. Confirmamur vero magis, ſi poſt partum enixum femina dolore fixo, ardente in hypogaſtrio, cum febre acuta, pulſu duro, tenſione abdominis, dolore capitis correpta jacuit, lochia ſuppreſſa, vel pauca, ſeroſa fluxerint, jam vero ſymptomata febrilia, dolor, ardor ceſſant & materia purulenta prorumpere incipit (*i*). Sauciationem autem prægreſſam, vel remanſionem partis hiſtoria partus, & hyſteritidem ſymptomata præſentia docent.

PROGNOSIS.

§. XLV. Suppurationem in locis obſcœnis plerumque periculo non carere ad unum omnes fatentur (*k*); non tamen ſemper lethalis eſt (*l*). Variat prognoſis pro cauſa. Si lochia fluunt purulenta ex vio-

(*h*) VAN SWIETEN T. IV. p. 605. (*i*) *Circa puris generationem dolores & febres magis contingunt, quam facto jam ipſo.* HIPPOCRATES Aphoriſ. II. 47. MAURICEAU T. II. obſ. CCLXXXXVII. CCCLXII. CCCCXIV. CCCCLXXIV. DLI.
(*k*) HALLERUS non dubitat adfirmare *putredinem hic ſemper periculoſam eſſe, quidquid etiam ad minuendum periculum adferatur.* Elem. Phyſiol. T. VIII. p. 454. *Ulcera in uteri ſinu & pudendo omnia perverſa ob loci temeritatem & humiditatem ſunt: adeo ut & levis excoriatio, diligentiam, ut ſanetur requirat.* PLATERUS Praxis Medic. T. II. p. 536. HIPPOCRATES Coacae Tract. III. Sect. XX. & DURETUS ad h. l. p. 446.
(*l*) Suppurationis in utero factae ex placenta relicta & per quadraginta dies durantis, ſalva vita, exemplum habet MAURICEAU l. c. T. II. obſ. DLI. itemque PELARGUS l. c. anno 1722. p. 118.

violatione partium non nimis lata, vel corpore relicto, vel inflammatione superficiali (*m*), tunc non semper infausti ominis sunt, & non raro curam admittunt; quum vero ex inflammatione uteri profundiori, pertinaciori superveniant, tunc periculi plenissima, nam malum in substantia uteri spongiosa serpit, depurationem difficillime admittit, & facile in ulcus fistulosum ægre sanabile, tabem inducens (*n*), degenerat.

CURA.

In cura omnes indicationes hic obtinent, quæ alias in exulcerationibus gravioribus observanda sunt. Oportet autem hic ob nobilitatem & insignem cum aliis partibus consensum protinus ab initio efficacissimis remediis tam topicis, quam universalibus (*o*), rem adgredi. Sequamur hic receptum indicationum ordinem.

α. *Indicatio vitalis* requirit, ut vires vitæ sustententur, & sufficiens materia pro elaboratione puris subministretur. Dum natura πυογονείᾳ occupatur, humores sanos multos ad locum adfectum attrahit (*p*), eosque mutat. In generatione puris igitur corpus magna parte humorum alibilium defraudatur, ut facillime inopia partium nutritiarum in corpore nascatur, & κεναγγείᾳ pereat, antequam opus absolutum sit. Oportet igitur corpus replere & sufficientem alimenti quantitatem subministrare (*q*), ut non solum vires conserventur, sed ut etiam pro pure elaborando materiæ tantum sit præsto, quantum ad naturæ scopum sat est. Jura carnium responderent quidem huic in-

(*m*) VAN SWIETEN T. IV. p. 606. (*n*) RIVERIUS l. c. p. 459. (*o*) *Quaecumque exulcerationes in uteris fiunt, ex abortu aut alia quadam causa, eas omnes respectu ad totum corpus facto curare oportet, quacumque curatione opus habere visae fuerint, sive ex universo corpore hominem curandum esse putaveris, sive ex ipsis uteris* HIPPOCRATES de morb. mulier. Lib. I. Sect. LXXXXI. T. II. p. 477. *Oportet autem curam cito adhibere, si ulcera in utero fuerint.* IDEM ibid. Sect. LXXXXII. T. II. 480. (*p*) Non repugno hic si quis cum Cel. DE HAEN Rat. Med. Part. II. cap. 11. p. 7. edit. Vindebon. Statuere vellet generationem puris in tota massa sanguinis fieri, & ad partem duci posse, corpus enim utraque ratione humores bonos perdit. (*q*) P. AEGINETA Lib. III. cap. 67. p. 180.

indicationi, sed quia in putredinem pronissimi sint humores nulla re nisi gelatina enutriti, præstabit juribus carnium incoquere olera molliora (*r*), vel semina cerealia oryzam, avenam, hordeum (*s*) sagu, panem; vel saltem gelatinosis interponere decoctum panis, aut dictorum seminum. Si vires nimis languent haustulum vini generosi ad ægram refocillandam concedi omnino potest.

β. *Indicatio curatoria* iterum alias specialiores subindicationes complectitur, quas cum HIPPOCRATE (*t*) sequentes constituamus.

1°. *Ulcus depurandum est*, id quod nulla alia ratione obtinere possumus, quam injectionibus emollientibus, leniter abstergentibus (*u*), in loca obscœna injectis, donec omne, quod peregrinum est, elutum sit. Huc faciunt decocta malvæ, alth., hordei, agrimoniæ, salviæ, cum oleo, melle simplici, quibus etiam, si putredo nimia se jungeret, parum essentiæ myrrhæ, aloës, succini spirituosæ, sine alcali paratæ, aut & liquamen myrrhæ addi potest. Hac ratione sordes deterguntur, educuntur, & putredo etiam potenter inhibetur. Frequenter vero hoc opus & cum patientia repetendum est (*x*), & omnibus nervis allaborandum, ut ad locum adfectum ipsum quam proxime liquor perveniat. Cui negotio egregie inservit metrenchyta MAURICEAU, cujus supra mentionem fecimus.

2do. *Consolidatio promovenda est.* Depurationem ulceris manus medica efficere valet, consolidatio autem solius naturæ actuosæ negotium existit, *quæ*, ut alia occasione observat SYDENHAM (*) „ *negotium suum, suo tempore exsequitur, nostris artificiis atque auxiliis* „ *non*

(*r*) HIPPOCRATES de morb. mulier. Lib. II. Sect XII. T. II. p. 542. (*s*) VAN SWIETEN T.IV.p.626. BEYERI Philonium Pharmaceuticum Lipsiae 1680. Lib.VI. cap.54. p.676. (*t*) *Oportet autem curam cito adbibere, si ulcera in utero fuerint, Nam, ut quae in tenero loco sunt, cito augescunt & breve putrescunt. Curare vero oportet ulcera, velut etiam ea, quae in reliquo corpore sunt. Nimirum ut inflammationem arceas & repurges & repleas & ad cicatricem perducas.* HIPPOCRATES de morb. mulier. Lib. I. Sect. LXXXXII. T. II. p. 480. (*u*) MAURICEAU T. II. obs. CCXXXXIV. CCCCXIV. CCCCLXII. BEYERI l. c. p. 676. Oleum Oliv. Rosar. aut butyrum recens laudat P. AEGINETA Lib. III. cap. 65. IDEM commendat tetrapharmacum, quod secundum CELSUM de Medicina, Amst. 1687. p. 262, 396. componitur ex aequalibus partibus cerae, picis, resinae, seb. taurini. (*x*) MAURICEAU T. II. obs. CCCXXXVI.

„ *non indiget ; ſuis viribus optime inſtructa , ſuis opibus locuples , ſua* „ *denique ingenio ſatis edocta.* " Interim poſſumus quoque hoc accelerare, ſi fibris robur addimus, dum collutionibus abſtergentibus, infuſo artemiſiæ , matricariæ , plantaginis , roſarum rubrarum (*y*) paulo majori doſi jungimus balſamica, ut tincturas ante dictas, vel & balſamum de Peru, de copaiba, canadenſe , terebinthina , opobalſamum, olibanum (*z*) aliaque. Quum malum ſedem in vagina magis defixum habet, coalitus parietum vaginæ impediendus eſt modo jam enarrato (*a*).

3^tio^. Dum vero hæ fiunt, *humores ab infectione immunes præſtandi ſunt.* Hinc quantum fieri poteſt reſorptio impedienda eſt , id quod adſequimur faciliorem reddendo evacuationem per frequentes injectiones , ſic enim nil adeſt , quod reſorberi poſſet. Deinde , quia omnis raptus ad interiora prohiberi nequit, maſſa ſanguinea contra effectus putredinis munienda eſt per diætam vegetabilem , remedia antiſeptica , quorum princeps eſt cortex Peruvianus, qui non ſolum ſuppurationem in loco adfecto mirum in modum promovet, gangrænam arcet & etiam humores a labe contrahenda defendit. Tandem etiam pus intus receptum expelli poteſt per ea medicamenta , quæ faciunt, ut humores uberius talia loca petant, quibus alias natura materiam purulentam eliminare ſolet. Diuretica igitur, ut ſucci, decocta fructuum horaeorum , ſales medii, ſerum lactis cum ſale (*b*) aptiſſima conſtituunt remedia. Non quod ſales medii putredini reſiſtant, quippe quæ facultas in his minima eſt, ſed quod ſerum reſolvendo, ſeceſſionem urinæ in renibus potenter intendant. Purgantia ad pus evacuandum etiam apta nata remedia ſunt (*c*). Abſtinendum vero a draſticis, ſed lenioribus tantum inhærendum eſt; ut rhabarbaro, mannæ, pulpæ caſſiæ, tamarindis , additis etiam ſalibus amaris.

γ. *In-*

(*) SYDENHAM Opera p. 145. (*y*) RIVERIUS Praxis p. 461. (*z*) GRASHUIS Diſſ. de Generatione puris, Horniae 1764. p. 80. (*a*) Ex ulceratione uterum obturatum fuiſſe teſtatur HIPPOCRATES ſe vidiſſe. de morb. mulier. Lib. I. Sect. LXVIII. T. II. p. 457. (*b*) HIPPOCRATES de morbis mulierum. cap. XII. T. II. p. 541. (*c*) IDEM. ibid.

γ. *Indicatio palliativa.* Quod si natura nimiam moveret suppurationem, vel dum materia resorpta in sanguine simile pus produxerit (*d*), quod per uterum copiosius effluere pergeret; adstringentibus lenioribus extus adpositis, vel etiam injectis, roborando vasa obviam imus, vel etiam purgantibus datis impetum violentiorem in matricem, revellendo, ad intestina determinamus. Quum pus bonæ indolis rarius hic nascatur, erosiones partium plerumque multum feminis incommodant; harum tamen medelam jam (§. X. γ) exposuimus.

LOCHIA GRUMOSA.

§. XLVII. Perventum est ad lochia *grumosa*, quæ adesse dicuntur, quum sanguis non pergit sensim & lente emanare, sed scaturigo obturatur, & paulo post insequitur tenesmus uterinus dolorosus, nixus edere coguntur feminae & cum his coagulum & sanguis fluidus elabuntur, quo excusso per tempus nil effluit, mox iterum corripiuntur tenesmo, nixibus, & de novo aliquid rejiciunt (*e*). Hic labor admodum fatigans puerperas, etiam sæpe crucem figit medicis.

CAUSÆ.

§. XLVIII. Oritur vero hoc symptoma generatim a duplicis generis causis, quarum aliæ in solidis, aliæ in fluidis resident. Dependet enim vel.

α. *A spissitudine sanguinis justo majori*, qua crassamenti partes tanto nisu se trahunt, & in cohærentiam ruunt, ut protinus dum instillat in cavum uteri, & hinc non amplius motu in vasis agitatur, sed quie-

(*d*) Id quod ex sententia Cel. De Haen contingere potest Ratio Med. l. c. (*e*.) Hoffmann. T. IV. Part: II. p. 61. Hippocrates de morb. mulier. Lib. II. Sect. LXIII. n. 1. T. II. p. 529. Aretaeus Capp. cap. XI. 63. Pelargus anno 1722. p. 17, 18. & 1723. p. 476. seqq. *Collectanea Vratislaviensia* de anno 1720. p. 167. Mauriceau T. I. p. 408. T. II. obs. DXXXIX. *Acta Med. Berolinens.* vol. X. p. 33. Puzos Verhandeling over de Verloskunde / Amst. 1762. Part. II. cap. XIV. p. 250. Smellie l. c. T. I. §. 468. Harveus de Generat. Animal. p. 275.

quiescit illico in thrombos cogitur, & sic ex orificio angustiori, protinus post partum constricto, exire nequit (*f*). Stillicidium cruoris interim ex vasis apertis hiantibus, vel discruptis (*g*) excidere non cessat, parietes matricis a superpondio sanguinis exonerant, donec tandem agesta sanguinis coacti moles major, uterum expandendo irritat (*h*). Ex hoc stimulo nascuntur uteri contractiones & ob ostii stricturam & exitum impeditum, inducitur tenesmus, in quo superat denique corpus uteri, orificium dilatat, sanguinem expellit.

β *Constrictio orificii uteri justo major.* Provenit hæc arctatio nimia ex spasmo præsertim in feminis delicatulis mobilioribus, in quibus levissima de causa motus spastici oriuntur, si animi commotione percelluntur (*i*), vel refrigerium (*k*) partibus obscœnis, ex graviditate adhuc irritabilioribus, admittunt, vel alios errores (*l*), qui stimulum habent junctum, errant. Deinde robur fibrarum totius corporis & hinc etiam uteri adauctum, quo in accurtationes ruunt vehementiores, corpore distendente ablato.

Hinc observamus cholericas, melancholicas feminas præ phlegmaticis procliviores in hoc malum esse. Fibræ enim uteri, quæ ejus segmentem inferius atque ostium efformant, tanquam antagonistæ fibrarum fundi uteri, mox excluso partu, vehementius, celerius se contrahunt, crispant (*m*); ostium obturant, sic sanguis retinetur accumulatur, donec tandem copia sua stimulet, tenesmum excitet uterinum, qui diu sæpe fatigat, donec fundus uteri vires suas resumens, prævaleat orificio, sanguinis grumos urgeat, quos sub fine tenesmi femina exire sentit. Quibus excussis serenitas & tranquillitas redit us-

---

(*f*) Levret *L'Art des accouch.* §. 806. 501. Idem *Mem de Chirurg.* T. III. p. 218. Ablaincourt in notis ad Van Deventer *Observat. sur les Accouch. à Paris* 1733. p. 161. De la Motte Lib. V. cap. VI. p. 767. (*g*) Harveus l. c. p. 274. Ill. Albini Praeceptoris summi Tab. uter. gravid. VII. Idem Adnot. Acad. T. I. Lib. V. Heuerman Physiol. T. III. p. 410. (*h*) Haller Elem. Physiol. T. VIII. p. 454. (*i*) Gaubius §. 745. (*k*) Hippocrates de humidorum usu. Sect. XI. T. I. p. 606. (*l*) Ex adstringentibus intempestive adhibitis hoc malum productum esse apud Hoffmannum T. I. p. 262. & 302. lego. (*m*) De hoc matricis mechanismo ante, in, & post partum singulari, verbosius agit Levret l. c. §. 499. seqq.

usque dum nova coacervata cruoris moles novam ſcenam ludere incipiat (*n*). Sæpiſſime etiam contingit, ut cum grumis ſanguineis varia corrupta materia expurgetur, cujus originem ex disputatis in prioribus paragraphis perſpicere licet.

DIAGNOSIS ET PROGNOSIS.

§. XLIX. Præſentiam lochiorum grumoſorum ex phænomenis recenſitis, facillimo negotio intelligimus. Præſagia autem raro quid infauſti ominantur, licet moleſtiſſimum ſit puerperis ſymptoma, quod eas ſæpe mirum in modum excruciat (*o*), immo moleſtiam partus non raro multum ſuperat, dum frequentiſſima dolorum, ſive nixuum poſt partum, materia atque cauſa exiſtit (*p*).

CURA.

§. L. Medela hic conveniens alia atque alia eſt, pro alia atque alia cauſa; hinc.

α. *Spiſſitudo ſanguinis nimia removenda eſt.* Magnæ omnino molis erit, ſanguinem in parietibus matricis congeſtum, qui præprimis in uteri cavum exſtillat, diluere, dum ibi fere extra activitatem ſyſtematis circulatorii hæreat. Interim tentari poſſunt diluentia, leniter reſolventia, ſaponacea. Ut vero potulenta aquoſa melius ſe moleculis interponant, diutius retineantur, non tam cito iterum exturbentur, & ſic durabiliorem dilutionis effectum edant, præſtabit, ut jam obſervatum fuit, eis conciliare naturam ſaponaceam, & aliquid addere, quod & penetrationem accelerat, & miſcelam reddit conſtantiorem. Hinc medici medentes potulentis admiſcere ſuadent ſaccharum, mel, ſyrupos, ſapas, roob varia, immo ipſa decocta fructuum horæorum, ceraſorum, fragar. pomor. pyror. quæ principium

(*n*) MAURICEAU T. I. obſ. C. [illegible] C. (*o*) *Salutare eſt muliebria non cohibere.* HIPPOCRATES Coac. Tract. III. Sect X. *Sunt enim graviſſima ſanguinis in utero grumeſcentis incommoda.* DURETUS l. c. p. 436. 437. (*p*) ROEDERER Elem. artis obſtetrit. Cap. IX. §. 202.

cipium ſaponaceum naturale junctum habent, exhibere. Si vero reſolventia potentiora quis experiri vellet, poſſet ex ſalibus mediis, nitrum, liquorem terræ foliatæ tartari, ſalem polychreſtum eligere, vel & oxymel ſcilliticum propinare, quod ultimum, cum aquis deſtillatis aromaticis, vel elæoſacharo, exhibitum, ne ventriculum invertat, præſtantiſſimos edit effectus reſolventes.

β. *Conſtrictio oſtii uteri minuenda eſt.* Si ſpasmus nimius ſævit, tentari poſſunt remedia, quæ fibras laxant, easque ſic ad contractionem vividiorem ineptas reddunt. Emollientia igitur adhibenda ſunt, omni forma, extus adpoſita, vel injecta, aut intus data. Hinc injectiones emollientes, oleoſæ, ex remediis ſæpe laudatis, in uterum, vaginam immiſſæ; clyſteres in anum injecti; cataplasmata, fotus, regioni perinæi, pubis adplicandi, & diu ac patienter renovandi ſunt. Si res ægræ ferunt, poſſunt etiam inſeſſus (*q*), pediluvia, tentari & vapores tepidi, ope ſellæ perforatæ, genitalibus admoveri. Si vero omnia hæc in caſſum ſuppoſita fuerunt, & dolores poſt partum acrius inſurgerent, ad opium confugere licebit, cujus vim in his doloribus ſopiendis experti laudant medici & chirurgi obſtetricantes. Nonnulli etiam a viribus florum chamomælæ ſibi multum promittunt (*r*). Si vero conſtrictio nimia penderet a fibra rigida magis elaſtica, ex conſtitutione feminæ robuſtiori oriunda, omnia ante expoſita largius in uſum vocanda, & præſertim balneorum vires audacter periclitandæ ſunt, ut totum corpus in ambitu laxetur (*s*) & per conſenſum etiam tenſio fibrarum in interioribus minuatur.

LOCHIA ICHOROSA, ACRIA.

§. LI. Devolvimur ad lochia *ichoroſa*, *acria*, conſideranda, quæ adeſſe ſcimus, quum non materia homogenea, ſed ſanioſa, corrupta, fœ-

(*q*) *Quum vias uterinas aperire ſtudemus, magna ars eſt manenti in balneo potiones ad eam rem idoneas propinare: laxato enim in balneo co pore, potio medicamentoſa facile pervadit.* VALLESIUS ad HIPPOCRATIS Epidemic. VII. Sect. LXXVII. p. 430.
(*r*) FORESTUS Opera omnia, Francofurti 1634. Lib. XXVIII. Obſ. 21. 75.
(*s*) HIPPOCRATES de humidorum uſu Sect. XI. T. I. p. 606.

fœtida, ſanguine permiſta, omnes partes quas contingit rodens, exedens, emanat e genitalibus poſt partum, & tempore puerperii. Oriuntur autem vel a corpore quodam in cavitate uteri poſt fœtus excluſionem relicto (*t*); vel ab ulcere harum partium cancroſo depaſcente (*u*), hinc facile innotescunt medico. Præſagia variant ratione cauſæ. A corpore relicto minus periculoſa eſſe, quam a carcinomate, quilibet perſpicit, licet pericula metuenda ſemper circumſtent. Cura tam radicalis, quam palliativa, neminem latere poteſt, qui repetit ea quæ ſupra jam (§. X. XVIII. XXVII.) adlata fuerunt.

LOCHIA VERMINOSA.

§. LII. Tandem etiam *verminoſorum* mentionem faciunt auctores (*v*). Vermes hic duplici ratione naſci poſſe, ex pathologicis conſtat. Ovula nimirum horum animalium vel cum humoribus circumeuntibus adducuntur, & quum conditiones faventes inveniant, excluduntur; vel a foris admoventur, ſive ab ipſis inſectis huc deponantur; ſive cum linteis applicentur; ſive ex inteſtino læſo, huc perveniant. Prior modus non videtur locum habere poſſe (*x*), hinc remanent ultimi. Erunt igitur vermes hic cum liquoribus prodeuntes plerumque, ſi non ſemper, effectus munditiei neglectæ, & patet ſimul, quid his præſentibus opus ſit facto. Præcaventur aëra liberiorem & inſecta ab acceſſione arcendo; ſplenia ſuppoſitoria non niſi puriſſima adhibendo. Tolluntur vero, ſi præſentes obſervantur, adcuratiori harum partium collutione cum liquoribus abſtergentibus, amaris, ut floribus chamomil. agrimon. artemis. vel aliis cum eſſentia myrrhæ, aloës, ſuccini

(*t*) Ab infante mortuo putrida etiam acris materia fluxit, ut totum orificium uteri inde exulceratum ſit, & membranae multae eroſae ſecedentes exierint. MAURICEAU T. II. obſ. CCLXV. HIPPOCRATES de morb. mulier. Lib. II. Sect. XIII. T. II. p. 543. BONETUS T. III. p. 416. (*u*) PAULUS AEGINETA Lib. III. Cap. 66. BONETUS T. III. p. 401. (*v*) STALPART VAN DER WIEL l. c. Cent. II. obſ. XXIX. p. 292. qui etiam ex J. PRIMIROSIO, MERCURIALI, BORELLO, GULDENKLEE, SCHARFFIO, SCHENKIO, HIPPOCRATE, RODERICO A CASTRO, MERCATO, plura exempla adfert. (*x*) GAUBIUS l. c. §. 585. & 586.

cini & cet. animatis, frequentius injectis, quibus non ſolum nidus horum animalium deſtruitur, ſed & ipſi vermes educuntur, vel interficiuntur.

§. LIII. Fateor, plures reſtare ſpecies lochiorum adhuc evolvendas. Sed video diſſertationem ſenſim auctam, ut limites præfixos fere egrediatur. Siſto igitur hic gradum. Quod ſuper eſt TE. L. B. ut crudos meos fructus æqui bonique conſulas, humillime rogo. Spondeo maturiores, quum corpori & menti plenior conſtabit maturitas.

—— —— —— —— *Neque aurea poma*
Primo vere legis. —— —— —— ——

ANONYM.

F I N I S.

E R R A T A.

pag. 2.	*lin.* 32.	*loco*	ctiam	*lege* etiam
—— 3.	—— 11.	——	HIPPOBRATES	*lege* HIPPOCRATES
——	—— 12.	——	Patriarcha	*lege* patriarcha
——	—— 32.	——	judæorum	*lege* Judæorum
—— 4.	—— 30.	——	VALESII	*lege* VALLESII
——	—— 31.	——	præceptoris	*lege* PRÆCEPTORIS
—— 5.	—— 11.	——	ſi-	*lege* ſi
——	—— 14.	——	Scorbutum	*lege* ſcorbutum
——	—— 32.	——	Deſcorbuto	*lege* De ſcorbuto
—— 7.	—— 12.	——	contundantur	*lege* contunduntur
—— 15.	—— 27.	——	aere	*lege* aëre
—— 17.	—— 5.	——	quæ	*lege* qui
—— 20.	—— 14.	——	carcinoma	*lege* carcinomatis
—— 22.	—— 24.	——	flavum	*lege* flavum
—— 32.	—— 17.	——	pthiſis	*lege* phthiſis
—— 38.	—— 21.	——	aliquod	*lege* aliquot
—— 40.	—— 27.	——	VALESIUS	*lege* VALLESIUS
—— 48.	—— 13.	——	immiſſæ	*lege* immittendæ
——	——	——	injecti	*lege* injiciendi

THE.

THESES.

I.

Eodem jure, quo adfirmant, cor non hærere in cavo pericardii; *eodem quoque jure, pulmones extra saccum pleuræ sitos esse, statuo.*

II.

Non est error physiologicus, quum vasa lymphatica inseruntur in venas rubras.

III.

Sanguificatio fit per speciem fermentationis.

IV.

Nervi non perforant ossa cranii.

V.

Nymphæ urinæ jactum non determinare; sed usum in partu habere videntur.

VI.

Coalitus vaginæ plenarius conceptionem non reddit impossibilem.

VII.

Elementa calculi fellei non in vesicula elaborantur, sed adducuntur.

VIII.

VIII.

Pyrosis post pastum non oritur ex compressione aortæ descendentis a ventriculo pleno.

IX.

Sphacelus non semper est sequela inflammationis.

X.

Aer mephiticus agit ut summum venenum, quod umquam datur.

XI.

Medicamenta agunt ex vi physica; rarissime autem eorum actiones ex legibus physicis explicare possumus.

XII.

Vis refrigerandi & calefaciendi potest esse in uno eodemque medicamento.

XIII.

Mercurius est antidotum virus venerei, hinc illud domare potest sine salivatione.

XIV.

Balnea frigida conducunt in rhachitide.

XV.

Incautum sapit chirurgum, qui in trepanatione terebram oleo inungit.